

in lignis in Calore, & modicum em hoc facile igne & bullis  
involos in se ad calorem hauriens magis spiritum occuparent, et sic per  
in lignis citiusaret illud in fides digerent, ita et ignis spiritibus  
dignis abeat per substantias, in eos tracti stringit. Edo ignis spiritibus  
ad in Q ad se refert: potest ad differentiam bene magis, ut dicitur  
vobis, si unig hoc applicet ignis in loco altero bene ab illo remot  
sit accensio per facile spiritibus, ut ignis in est in loco impingere  
ad eos refert in fides hanc est spiritibus imperestrabilis e' cas.

Ed ignis per calorem in per expandit sine fluidum vis visum  
illud fuerit ut experientia docet in bene aqua immixta, vino autem  
nitidus et ignis, immixto ino habidus terre, cupro, argenti, auris, et  
expandi potest ex diuersis de ea, alie ut fluida expandi de calori  
fuit. Visu tubulu longum uti anem habens, fluido aere ita inole  
et, tu visu hoc in igne ad bene calidus, et offerunt fluidum in  
stante post immersionem subit ad certu spatium in tubulo dequens  
desinde ad succurre ad in ignem altitudine in die quorsus de aqua.  
visu qui in igne est, quare ut caloris, exponitur hoc bene fluida.  
per tota calore expandi docet namque fluidum aut calidus immergi bene.  
videt in tubulo aliquantisper deorsum fuit in dilatato in ga igne  
et calidus bene inuit Calorem illud bene expandit, cum em hoc expansionem  
fuit



THESAURUS

EXORCISMO-  
RUM ATQUE CON-  
JURATIONUM TERRIBILIVM, (PO-  
tentissimorum, efficacissimorum, cum  
PRACTICA probatissima:

QUIBUS SPIRITUS MALIGNI,  
Dæmones Maleficiq; omnia de Corporibus huma-  
nis obsessis, tanquam FLAGELLIS FUSTI-  
BUSQUE FUGANTUR, expellun-  
tur, doctrinis refertissimus atq;  
uberrimus:

Ad maximam EXORCISTARUM commodi-  
tatem in lucem editus & recusus:

Cujus Authores, ut & singuli tractatus, sequen-  
te pagellâ consignati, inveniantur.)



(Cum Gratia & Privilegio S. Cæsareæ Majest.)

COLONIÆ,

Impensis LAZARI ZETZNERI (Bibliop.)

ANNO MDCVIII.

AUTHORES ET  
TRACTATUS QUI  
hoc volumine continentur.

- 1 F. VALERII POLYDORI PATAVINI,  
Ordinis Minor. Conventualium, Artium & Sacr.  
Theolog. Doctoris, PRACTICA EXORCIS-  
TARUM ad Dæmones & Maleficia de Christi fideli-  
bus pellendum, PARS PRIMA. pag. 1.
- 2 EJUSDEM, DISPERSIO DÆMONUM  
quæ est Practicæ Exorcistarum PARS SECUNDA.  
pag. 197.
- 3 F. HIERONYMI MENGI VITELLIA-  
nensis, Ordinis Minorum Regularis observantiæ,  
FLAGELLUM DÆMONUM. pag. 285.
- 4 EJUSDEM FUSTIS DÆMONUM. pag.  
527.
- 5 F. ZACHARIÆ VICECOMITIS, OR-  
dinis SS. Barnabæ & Ambrosii ad Nemos Mediola-  
nens. Exorcistæ, COMPLEMENTUM ARTIS  
EXORCISTICÆ. pag. 757.
- 6 PETRI ANTONII STAMPÆ, Sacerdotis  
Clavensis, FUGA SATANÆ. pag. 1193.

0-17-0-311  
8<sup>o</sup>-4269

Iste Liber applicatus est Bi-  
bliothecæ Collegii Leprosorum  
per. Adm. P. Ben. Witkowski  
Propositum Legioniarum 1756.






ADMODUM R. D. IN  
CHRISTO PATRI,

D. JO. DOMINICO VIGNATIO,  
S. Theologiae Magistro, ac Venetiarum  
Generali Inquisitori.

Robertus Mejetus S.

 Itenuitati meae cum tuis amplissimis  
virtutibus peraequa intercederet pro-  
portio: plura profecto extarent obser-  
vantiae in te meae praecleara monumen-  
ta. Habet enim tua Modestia, Gravitas, rerumq;  
divinarum, atq; humanarum Cognitio tantam ad  
amorem tui alliciendi vim: ut humanitatis expertus  
omnino sit, vel prudentia prorsus careat, qui te a-  
more singulari non amat, vel summa observantia  
non colit. Suspecti semper ab eo ipso die, quo pro-  
bitatis, praexcellentis virtutis, ac laborum tuo-  
rum praeconiũ ab eruditissimis viris in meo biblio-  
polio audiui celebrare, & merita in Christianam  
Remp. quae quotidie in profligandis sanctae, or-  
thodoxaeque fidei hostibus assequeris: & mi-  
rificam illam, qua in hac re uteris, diligen-  
tiam, & dexteritatem. Quid ego ex alio-  
rum de tuis laudibus & meritis iudicio pende-  
am? qui in me ipso expertus sim ingenii tui sua-  
vitatem, verborum ac morum elegantiam,

P R E F A T I O.

maximacum vite innocentia conjunctam: dum  
 me, equè ac ceteros Typographos, ad librorum e-  
 mendationem, & selectionem, ut nihil non excul-  
 tum, & Reip. non valde utile foras exiret, hortaba-  
 ris. Quod quidem mihi tam altè in corde in se-  
 dit, ut deinceps non in lucello, sed in magno lucro pone-  
 rem, me tuis sapientissimis consiliis paruisse, tibi q<sub>3</sub>  
 ve ipsa cumulatè satisfecisse. Id an præstiterim, vel  
 hic, qui nunc iterum excusus liber de Exorcismis  
 ex mea typographia in lucem prodit: ac tibi, hoc est,  
 virtutum amplitudini per me scienter, prudèter q<sub>3</sub>  
 dicatur, comprobabit. Nihil enim prætermisi, ut  
 omnibus ( ut ajunt ) numeris absolutus legeretur:  
 scirentq<sub>3</sub> omnes, qui eum in manibus habuerint,  
 me hoc testimonio, quantumcumq<sub>3</sub> est, & tibi ob-  
 sequentissimum esse: atq<sub>3</sub> etiam tibi, qui animos  
 diabolica fraude deceptos, ut iidem ad sanitatem  
 redeant, summopere curas, libellum hunc, à De-  
 monibus obsessos, ac maleficiis oppressos adjuvan-  
 tem, optima ratione dedicasse, Vale. Kal. Janu-  
 arii, M DC VI.

F. SAN-

0-17-0-311

8<sup>a</sup>-4269



F. S A N C T U S M E L A -  
R A N C I U S à M O N T E

Rubiano,

Ord. Minor. Conventual. Lectori,

S. D.



Uétrice, in frequētatis studiorum actibus,  
cum delectatione, assiduitate laboris com-  
miteque in disponendis omnibus, cū prō-  
pitudine, foelicitate ingenii: R. Valerius  
Polidorus Pat. Convent. Franciscanus, Ar-

tium, & Sacrae Theologiae Doctor, ita laudabiliter pro-  
fecit in omnibus, ut in eisdem mirabilis evidentissimè  
conspiceretur. Hic namque sicut in conversationibus fa-  
miliaris, & probus: sic in concionibus gravis, & facun-  
dus: in lectionibus facilis, & doctus; in disputationibus  
subtilis, & distinctus; atque in Exorcizationibus terribi-  
lis, & efficax semper videtur. Mihi non credis? Operibus  
ejus crede: Ad praxim accede; atque ejus Practicam  
Exorcistarum, pro nunc, prudenti animadversione con-  
sidera: ut dum Diabolum arguit, ejus simul gravem fa-  
cundiam: dum eidem sacra misteria: in cujus operatur  
virtute proponit, facilem doctrinam: dum eundem,  
proposita intimius inculcando, enervat, subtilem distin-  
ctionem quarit, terribilem efficaciam comprobes, uti-  
liaque simul multa deducas: Utilis est enim hic liber  
Theologis. Concionatoribus, praecipuè & Exorcistis: Si  
namque Theologus eris, Resolutiones divinarum my-  
steriorum habebis: si Concionator, applicabilia multa  
praedicabilia non deerunt: Si verò Exorcista, hoc opere  
proculdubio perfectus eris. Ut autem omnia praedicta  
clarius innorescant, Indicibus sequentibus, à me recolle-  
ctis, manifestare curavi:

# C O P I A.

Gli Eccell. Signori Capi dell' Illustrissimo Conf. di X. infra scritti hauura fede dalli Sig. Riformatori di Studio di Padova, per relatione delli due à ciò deputati: cioè del Reverendo Padre Inquisitor, & del Circ. Secretario del Senato Zuanne Maravegia con giuramento, che nel Libretto, intitolato Pratica Exorcistarum F. Valerii Polidori Patavini Conventualis Franciscanorum ad Dæmones, & Maleficia expellenda: non sit tro-  
ua cosa contra le leggi, & è degno di stampa, concedemo licentia, che possi esser stampato in questa Città.

Dat. die 15. Novemb. 1605.

D. Lor. Loredan.	}	Capi dell' Ill.
D. And. Minotto.		Conf. di X.
D. Z. da Leze.		

Illustrifs. Conf. X. Sec. Leonard.  
Orthobonus,

1605. à 17. Novemb.  
Reg. in lib. à car. 137. R.

Ant. Laured. Off. Con. Blasf.

INDEX



# I N D E X.

## P R I N C I P A L I U M P A R T I U M

P r a c t i c æ , s e c u n d u m o r d i n e m  
i p s a r u m .

I n P r æ f a t i o n e .

<b>D</b> E omnibus in Præfatione ordinatè tractandis.	1
De firmitate fidei, quæritur in Exorcista.	2
De puritate conscientiæ ab Exorcista sectanda.	3
De Avaritia ab Exorcista vitanda.	4
De Vana gloria ab Exorcista fugienda.	4
De publici jejunio, à Dæmoniaco servando.	5
De oratione Dæmoniaci, in Deum. & Sanctos dirigenda	5
Quare Diabolus humana corpora aggrediatur. & ingre- diatur.	7
Quomodo cognoscatur, an quis sit Dæmoniacus, vel maleficiatus.	8
Quomodo, & quid sit à Dæmonibus petendum.	10
Quomodo per nomen principalis Spiritus obsidentis, cognitio potissima liberationis obsessi deprehenda- tur.	12
De diversis nominibus Diaboli, & eorum interpretati- one.	13
De natura Dæmonis ex his quæ colliguntur à Magistro sententiarum cognoscenda.	16
De natura Dæmonis ex his quæ à diversis referuntur.	18
De pertinentibus ad fugam Dæmonis, & maleficiorum destructionem, ex his quæ tactu inferuntur.	19
De pertinentibus ad expulsionem Diaboli, ex visibili- bus.	35
De odorabilibus effumigandis ad incursum maleficos, & Diabolicos expellendos.	35
De spectantibus ad eversionem Diaboli, & Maleficiorum, ex gustu applicandis.	31
De audibilium usu in ejectione Diaboli habendo, & de ipsorum ordine.	35

INDEX

*In Praeexorcizationibus.*

<b>G</b>	Generalis confessio Exorcistæ.	38
<b>D</b>	Dæmoniacy, & astantium confessio.	41
	Divini auxilii postulatio.	43
	Protestatio Dæmonibus patefacienda.	44
	Conciratio Dæmonum.	47
	Stolæ usus, & juramentum Dæmoni dandum.	51
	Modus Dæmones interrogandi.	53

*In Exorcizationibus.*

<b>P</b>	Prima quæ est ex sanctis nominibus Dei.	57
	Secunda ex omnium sanctorum ordine.	67
	Tertia est ex præcipuis animadversione dignis Sanctorum Angelorum.	78
	Quarta ex actibus vitæ gloriosa Virg. Mariæ.	90
	Quinta ex gestis domini nostri Jesu Christi.	102
	Sexta ex institutis venerand. Sacramentorum.	115
	Septima ex præcipuis S. Ecclesiæ Dogmatibus.	130
	Octava ex mysteriis Sanctissimæ Trinitatis, & Unitatis Dei.	146
	Nona ex lib. Apocalyp. B. Joannis Apost.	157

*In Postexorcizationibus.*

<b>P</b>	Præceptum faciendum egressis spiritibus.	168
	Præceptum faciendum spiritibus in corpore remanentibus.	170
	Maledictio contra nimis obstinatos Dæmones.	173
	Gratiarum actio pro persona liberata.	178
	Benedictio personæ liberatæ.	179
	Modus liberationis à Dæmonibus Incubis & Succubis.	180
	Ordo liberandi domum à Dæmonibus perturbatam.	182
	Repulsio tempestatis, à Dæmonibus excitatæ.	192



# I N D E X.

OMNIUM FERE LOCORUM U-  
triusque Testamenti, in quibus aliquo-  
modo fit de Diaboli confusione memoria; cum eo-  
rum supplemento, quibus in hoc opere Au-  
ctor non utitur: ex sui tamen dispositione uti  
poterit prudens Exorcista.

*Lectio lib Genesis Cap. 3.*

<b>V</b> ocavit Dominus Deus Adam, &c. Habetur in Exorcizationibus. pag.	91
<i>Lectio lib Regum: Cap. 5.</i>	
Philistiim tulerunt Arcam Dei &c. In Postexorcizationibus: pag.	184
<i>Lectio lib Regum Primi: cap. 16.</i>	
Spiritus domini recessit à Saul, &c. In Exorcizationibus: pag.	69
<i>Lectio lib Tobie, cap. 6.</i>	
Interrogavit Tobias Angelum. &c. In Præexorcizationibus.	53
<i>Lectio lib. Tobie: Cap. 7. &amp; 8.</i>	
Vocavit Raguel ad se Annam &c. In Postexorcizationibus.	173
<i>Lectio lib. Job, cap. 1.</i>	
Quadam die cum venissent, &c. In Exorcizationibus.	80
<i>Lectio lib. Job cap. 2.</i>	
Factum est, cum quadam die venissent. &c. In Exorcizationibus.	131
<i>Lectio lib. Job cap. 40.</i>	
Dixit Dominus ad Job, &c. In Postexorcizationibus.	186
<i>Lectio Isaiæ propheta, cap. 14.</i>	
Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, &c. In Exorcizationibus.	59

INDEX LOCORUM

<i>Lectio Ysaie propheta. cap. 26. &amp; 27.</i>	
Expergiscimini, & laudate. &c.	
In Postexorcizationibus.	170
<i>Lectio Danielis propheta. cap. 14.</i>	
Venit Rex cum Daniele. &c.	
In Postexorcizationibus.	185
<i>Lectio Nahum propheta. cap. 1.</i>	
Quid cogitatis contra Dominum? &c.	
In Præexorcizationibus.	50
<i>Lectio Zacharie propheta. Cap. 3.</i>	
Ostendit mihi Dominus &c.	
In Præexorcizationibus.	52
<i>Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum cap 4.</i>	
Ductus est Jesus in desertum. &c.	
In Exorcizationibus.	103
<i>Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum. Cap. 8.</i>	
Cum venisset Jesus trans fretum. &c	
In Exorcizationibus.	70
<i>Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum. Cap. 9. &amp; 10.</i>	

Obtulerunt Jesu turbæ hominem mutum dæmonium habentem, & ejecto dæmonio locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel. Pharisei autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones. Et circuibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas misertus est eis quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dixit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos.

*Lectio*



UTRIUSQUE TESTAMENTI.

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Matthæum cap. 12.*

Oblatus est Jeshu dæmonium habens cæcus & mutus, & curavit eum ita ut loqueretur & videret. Et stupēbant omnes turbæ, & dicebunt: Nunquid hic est filius David? Pharisei autem audientes dixerunt: Hic non ejicit Dæmones nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum. Jeshus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se desolabitur: Et omnis domus vel civitas divisa cōtra se, non stabit. Et si sathanas sathanam ejicit, adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit regnum ejus? Et si ego in Beelzebub ejicio, Dæmones filii vestri in quo ejiciūt? Ideo ipsi judices erunt vestri. Si autem ego in spiritu Dei ejicio Dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Matthæum Cap. 15.*

Secessit Jeshus in partes Tyri. &c.

In Exorcizationibus.

158

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Matthæum cap. 17.*

Cum venisset Jeshus ad turbam. &c.

In Exorcizationibus.

131

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum, Cap. 1.*

Erat Jeshus in Synagoga &c.

In Exorcizationibus.

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum, cap. 3.*

Spiritus immundi cum Jeshum videbant. &c.

In Postexorcizationibus.

188

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum, cap. 5.*

Exeunti Jeshu de Navi. &c.

In Præexorcizationibus.

50  
Lectio

INDEX LOCORUM

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum: Cap. 6.*

Convocavit Jesus duodecim, & coepit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituū immundorum. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in Zona æs, sed calciatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis, Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde. Et quicumque non receperint vos, neque audierint, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes prædicabant, ut poenitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant.

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum: Cap. 7.*

Abit Jesus in fines Tyri &c.

In Exorcizationibus.

146

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum: Cap. 9.*

Interrogavit Jesus populum &c.

In Postexorcizationibus.

163

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum: Cap. 9.*

Dixit Joannes Jesu: Magister, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cirò male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quis quis. n. potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perderet mercedem suam.

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Marcum: cap. 16.*

Recumbentibus undecim discipulis &c.

In Exorcizationibus.

59

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Lucam: cap. 4.*

Jesus



UTRIUSQUE TESTAMENTI.

Jesus plenus spiritu sancto regressus est à Jordane, & agebatur à spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis, & cōsumatis illis esuriit. Dixit autem illi Diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est, quia non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo proci dens si adoraveris coram me, erunt tua omnia. Et respondens Jesus dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et duxit illum in Hierusalem, & statuit illum supra pinnaculum tēpli, & dixit illi Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum, scriptum est enim, quod angelis suis mandavit de te, ut conservent te, & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Jesus ait illi: Dictum est, non tentabis dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo.

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Lucam: cap. 4.*

Descendit Jesus in Capharnaum civitatem Galilee, ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamavit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi Jesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te, qui sis, sanctus Dei. Et increpavit illum Jesus, dicens Obmutescce, & exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit, Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

*Lectio*

INDEX LOCORUM

*Lectio Sancti Evangelii secundum*

*Lucam. cap. 4.*

Surgens Jesus de Synagoga. &c.  
In Postexorcizationibus.

187

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Lucam. cap. 6.*

Descendens Jesus de monte steterit in loco campestri,  
& turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa ple-  
bis ab omni Judea & Hierusalem & maritima & Tyri &  
Sidonis, qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à  
languoribus suis, & qui vexabantur à spiritibus immun-  
dis curabantur. Et omnis turba quærebat eum tange-  
re, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Lucam. cap. 7.*

Convocavit duos de discipulis suis Joannes & misit  
ad Jesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium ex-  
pectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixe-  
runt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es  
qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem  
hora multos curavit à languoribus suis, & plagis, & spi-  
ritibus malis: & cæcis multis donavit visum.

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Lucam. cap. 8.*

Cum ex navi Jesus &c.  
In Præexorcizationibus.

54

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Lucam. cap. 9.*

Convocatis Jesus duodecim Apostolis. &c.  
In Præexorcizationibus.

52

*Lectio sancti Evangelii secundum*

*Lucam. cap. 9.*

Descendente Jesu de monte cum Petro, Iacobo, &  
Ioanne, occurrit illis turba multa. Et ecce vir de tur-  
ba exclamavit dicens: Magister obsecro te, respice  
in filium meum, quia unicus est mihi. Et ecce spiritus  
appre-



UTRIUSQUE TESTAMENTI,

apprehendit eum, & subito clamat, & elidit & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum, & rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt. Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis & perversa, usquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cum accederet, elisit illum Dæmonium, & dissipavit, & increpavit Iesus spiritum immundum & sanavit puerum & reddidit illum patri ejus. Stupcebant autem omnes in magnitudine Dei.

*Lectio sancti Evangelii secundum  
Lucam cap. 9.*

Dixit Joannes Iesu: Preceptor vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus Nolite prohibere. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

*Lectio sancti Evangelii secundum  
Lucam. cap. 10.*

Reversi sunt septuaginta cum gaudio &c.  
In postexorcizationibus.

171

*Lectio sancti Evangelii secundum  
Lucam: cap. 11.*

Erat Iesus ejiciens Dæmonium, &c.  
In Exorcizationibus.

91

*Lectio sancti Evangelii secundum  
Lucam cap 13.*

Erat Iesus docens in Sinagoga &c.  
In Exorcizationibus.

116

*Lectio sancti Evangelii secundum Joannem: cap. 11.*

Dixit Iesus: Nunc anima, mea, &c.  
In Postexorcizationibus.

173

*Lectio actuum Apostolorum: cap. 5.*

Per manus Apostolorum fiebant signa &c.  
In Exorcizationibus.

116

*Lectio actuum Apostolorum; cap. 8.*

Philippus descendens in civitatem &c.  
In Exorcizationibus.

147  
Lectio

INDEX LOC. UTRIUS. TEST.

*Lectio Actuum Apostolorum*  
*cap. 16.*

Factum est euntibus nobis &c.

In Postexorcizationibus,

102

*Lectio Epistola beati Iudae Apostoli:*  
*cap. Unico.*

Commonere vos volo, scientes vos &c.

In Exorcizationibus.

157

*Lectio lib. Apocalypsis beati Ioannis Apostoli*  
*cap. 12.*

Factum est praelium magnum &c.

In Exorcizationibus.

103

*Lectio lib. Apocalypsis beati Joannis Apostoli*  
*cap. 20.*

Vidi Angelum descendentem &c.

In Præexorcizationibus.

58

F I N I S.



# PRÆFATIO IN PRACTICA

Exorcistarum.

F. VALERII POLIDORI

Patavini, ord. min. conventualium

Artium & Sacræ Theologiæ

Doctoris.

*De omnibus in Præfatione, ordinatè tra-  
ctandis. Cap. I.*



UO sunt, in quibus prudenti animad-  
versione versari debet Exorcista: Quo-  
rum primum respectu sui est; Se-  
cundum autem, alterius. Unum  
habendum; & aliud rejiciendum.

*Totius  
præfationis  
compendi-  
um.*

Habendum est duplex: Primum respi-  
cit fidei firmitatem; Secundum verò conscientiæ puri-  
tatem. Rejiciendum autem est duplex: Primum est  
avaritia, & Secundum vana gloria. Secundum insuper  
quod respectu est alterius, est duplex: Quorum Primū  
respicit obsessum liberandum, Secundum verò obsidens  
fugandum. At obsessum respiciens, est duplex: Primum  
est jejunium servandum; Secundum autem oratio ha-  
benda. Sed horum primum duplex est: Unum est à  
peccatis; à cibo verò aliud, & potu. Secundum quoque  
scilicet Oratio duplex esse potest: Una quarum in De-  
um dirigatur; & ad Sanctos alia. Illud item secundum,  
quod respicit Obsidens fugandum, est adhuc duplex.  
Quorum primum reductivè ad prædictam fugam: Se-  
cundum verò immediatè convenit. Sed reductivè per-  
tinet dividitur in septem. Horum primum est, Qua-  
re Diabolus humana corpora aggrediatur, & ingredia-  
tur. Secundum est, quomodo cognoscatur an quis sic

A

dzmo-

dæmoniacus, sive Maleficiatus. Tertium est, Quomodo, & quid sit à Dæmonibus petendum. Quartum est, Quomodo per nomen principalis spiritus, cognitio potissimum mediæ liberationis obsessi deprehendatur. Quintum est, de diversis Diaboli nominibus. Sextum est, Da natura Dæmonis ex his, quæ à Magistro sententiarum colliguntur; cognoscenda. Et Septimum est, de natura Dæmonis, ex his quæ à diversis referuntur, habenda. Illaque tandem, quæ sunt immeditate convenientia sunt quinque, secundum quinque in humano corpore sensus, per quos omnes tormentandus est Diabolus, & maleficia destruenda. Primum est de Tangibilibus. Secundum, de Visibilibus. Tertium de Odorabilibus. Quartum de Gustabilibus. Et quintum de Audibilibus De quibus omnibus, & secundum hunc ordinem, est hic successivè specialiter exacta ratio complenda, & Prefationis extensio concludenda.

*De firmitate fidei, quæ requiritur in Exorcista. Cap. II.*

**M**Uniens illos Apostolus, quibus debet esse coluctatio adversus Principes & Potestates, & adversus mundi hujus Rectores tenebrarum harum, inter cætera armorum genera, Scutum fidei maximè commendat cum dicat; In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Eph. 6. Hinc primo, facillime deprehenditur Exorcistam fidelissimum esse debere, circa credibilia omnia, à Sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica tradita, cum sit ipse pugnaturus adversus insidias Diaboli. Evidentius autem, secundo, idem propositum declarat Dominus in Evangelio; Matth. 17. qui respondens discipulis suis, perquirentibus quare à juvene quodam non potuissent Dæmonem ejicere, & dicentibus; Quare non potuimus ejicere illum? Ait; Propter incredulitatem vestram. Firma itaq; fides, cum firmum sit fundamentum pro Dæmone fugando, firmiter sit in ipso.

*Fides requiritur in Exorcista.*



De puritate conscientia ab Exorcista se-  
clanda. Cap. III.

**A** DEO benedicto prius, tanquam à causa principa- *Causa*  
li; ab Exorcista deinde tanquam à causa mini- *principa-*  
steriali, liberationem dæmoniaci expetendam *lis, & mi-*  
fore declararunt omnes Exorcistæ, qui hucusque fue- *nisteriali*  
runt, cum suas conjurationes bifformes reliquerint, *liberatio-*  
ponentes in ipsis & orationes, & exorcismos: orationes, *nis obsessis.*  
ut liberaretur à Deo; exorcismos verò, ut liberaretur  
ab exorcizatore, autoritate sibi à Domino tradita, di-  
cente Lucæ cap. 9. Dominum Apostolis dedisse virtu-  
tem, & potestatem super omnia Dæmonia. Deus au-  
tem, & Exorcista respectu prædictæ liberationis ita se  
habent, quod Deus, nolente exorcista, potest talem  
operari liberationem; sed non exorcista, Deo nolente;  
propterea pulsanda est à Deo bonitas ejus, indefessis  
orationibus ut reddatur fautrix sibi, & suis (etiam ut  
talis persona est) exauditis orationibus, intentam fa-  
cilius obtineat liberationem. Quomodo autem facilius *Exorcista*  
exaudietur si non peccata dimiserit? Si non erit *peccatum*  
conscientia purus, & mundus? Hoc indicans David dice- *deserere*  
bat; Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudi- *debet.*  
et Dominus. Psalm. 65. Purus igitur & conscientia ni-  
tidus, per veram saltem contritionem, quando in prom-  
ptu copia non habetur confessarii, & per completam  
omnium suorum peccatorum confessionem, quando  
fieri poterit, bonus exorcista hac potissimum debet esse  
de causa.

De Avaritia ab Exorcista vitanda.  
Cap. IV.

**P**Uella quædam spiritum habens Pythonem, quæ *Paulus*  
magnum quæstum præstabat dominis suis divi- *Apostolus*  
nando; cum sequuta esset Paulum, & eos, qui *liberavit*  
cum ipso erant per plurimos dies dum irent ad oratio- *puellam*  
nem, & clamasset quotidie, dicendo; Isti homines, à Pythoni- *à Pythoni-*  
servi Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam saku- *co spiritu.*

*Exorcista  
avaritiam  
vitare  
debet.*

*Munera  
quomodo  
recipere  
possit exor-  
cista.*

tis; à Paulo liberationem de obsessione recepisse manifestè apparet ex Act. Apostolorum 16. Hoc autem, ex loco prædicto, colligo ego Paulo factum fuisse propter duo; Primum est, quia Sancta composuit modestia nolebat neq; à Pythonico spiritu, de perfectionibus huiusmodi, publicè laudari. Secundum autem est, quia sicut magnum ita pravum, puella prædicta, dominis suis quæstum præstabat, & propterea nec tales Avaritiæ quæstus dignum fore permitti iudicavit. Hinc colligere potest exorcista, quod non debet uti Diabolo, ut bona acquirat temporalia; tunc autem tale scelus committeret, quando propter ejus fugam procurandam, munera expectaret Simoniaca. Hoc itaq; neque apud se optatum faciet, ne Deum offendat, neque vel gestu, vel verbo, vel opere, vel modo aliquo exquiret, ne Deum similiter offendat, & proximo scandalum sit; & eadem de causa nec facilius audiatur à Deo, nec à Diabolo intensius timeatur. Animadvertendum est tamen, quod si sine animi macula in oprando, vel errore extrinseco in requirendo, aliquid à sponte dantibus pro elemosyna necessaria reciperet, hoc cum Dei benedictione esset. Cautè tamen, & secundum scientem conscientiam, in his omnibus est peragendum.

*De Vana gloria ab Exorcista fugienda.*

*Cap. V.*

*Inanem  
gloriam  
vitet exor-  
cista.*

*Christus  
noluit dis-  
cipulos de-  
sectare Di-  
aboli gan-  
dere.*

**S**I velit gloriari Exorcista propter alicujus sui officii operationem, & subsequutum effectum, hoc erit quia operationem sive effectum talem existimabit bonum, perfectum, vel optimum: quod si sic, meminisse primò oportet, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum, teste Divo Jacobo. Et ita Regi seculorum immortali & invisibili tantum, honorem & gloriam prebere debuisset. Favet, pro secundo huic sententiæ Dominus noster Iesus Christus, qui septuaginta reversis ad ipsum cum gaudio, & dicentibus; Domine etiam Demonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Lucæ 10.

Respon-



P R Æ F A T I O.

Respondit; in hoc nolite gaudere, quia Spiritus subji-  
untur vobis. Si volebat Discipulos gaudere, quomodo  
gloriarī? Non placuit ipsi primum, ergo nec sibi secun-  
dum in hoc opere placet. Humiliter itaq; in omnibus  
prosequatur opus suum exorcista, & sine inanis gloriae  
ventis.

*De duplici Jejunio à Dæmoniaco ser-  
vando. Cap. VI.*

**J**ejunium in expulsiōe Dæmonum à corporibus *Jejunium*  
obsessis requiri, restatur Dominus, qui dixit disci- *duplex à*  
pulis suis, quare vobis, quare non potuissent ejicere *Dæmonia-*  
Dæmonem? Hoc genus in nullo potest exire nisi in ora- *co servari*  
tione & jejunio. Mar. 9. quod præcipuè ab obsesso, si *debet.*  
possibilitas adsit, servari debet: Jejunium autem du-  
plex esse potest: Primum à peccatis, & tunc sanctificatur,  
quando post completam suorum peccatorum confessi-  
onē expellit in posterū occasionē peccandi; requiritur  
autē in Dæmoniaco, ut vel ab ipso, aut ab Exorcista, sive  
ab illis, ejus vices supplantib, divina bonitas facilius im-  
petretur. Secundū autē jejunium est à cibo & potu, quo  
valde irritantur Dæmones, maximè infirmantur, & facili-  
mè superantur: Exemplū habemus Salvatoris, qui cum  
Diabolo in deserto pugnaturus, quadraginta diebus je-  
junavit, & quadraginta noctibus, ut habetur Matt. 4.  
& Luc. 4. Servandum erit itaque hoc duplex jejunium,  
ut dictis de causis, obsessi curatio facilius impetretur.

*De Oratione Dæmoniaci, in Deum & San-  
ctos dirigenda. Cap. VII.*

**R**ogaverunt Discipuli dominum nostrum Iesum  
Christum pro muliere Cananea, egressa à finibus  
Tyri & Sidonis, cujus filia à Dæmonio vexabatur; *Intercessi-*  
Sed & eundem dominum rogavit ipsa pro recuperanda *onem san-*  
filia sanitatem, quapropter illud tandem domini audivit *ctorum à*  
eloquium, Fiat tibi sicut vis; ut habetur Matt. 15 Hinc *Dæmonia-*  
monendum fore Dæmoniacum duxi, de duplici Ora- *co esse po-*  
tione faciendā; Quarum prima sit ad omnes sanctos & *scendam.*  
sanctas

sanctas Dei, pro intercessione illorum poscenda, & divina benevolentia captanda; Vel etiam fieri talem orationem expediet ad aliquem particularem Sanctum, erga quem pro animi affectu, & devotione teneatur. scilicet. ad gloriosam Virginem Mariam, ad Sanctum Michaelem Archangelum, Sanctum Antonium de Padua, & hujusmodi. Secunda autem oratio dirigatur in Deum, pro gratia ab ipso liberationis principaliter largienda, quæ sit ita debita puritate, humilitate, & fide circumstantionata, quod à Domino audiri, & benigniter exaudiri mereatur. Habet, pro hoc aptissimè complendo, in promptu, Dominica verba, Angelica, Ecclesiastica multa, atq; Prophetica, Davidicaque. inter quæ maximè intentioni hujusmodi deserviunt quatuor sequentium Psalmorum Cantiones.

## I.

*Psalmi pro oratione Dæmoniaci Psal. 30.* Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad dominum clamavi, & exaudivit me: de monte sancto suo. Ego dormivi, & soporatus sum & exurrexi: quia dominus suscepit me. Non timebo millia populi circumdantis me; exurge domine, salvum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. sicut &c.

## II.

*Psal. 69.* Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur & reveantur, qui quærun animam meam. Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Avertantur statim erubescences, qui dicunt mihi euge, euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærun te & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare ejus. Ego vero egenus & pauper sum, Deus adjuva me. / adju-



P R A E T I O .

tor meus, & liberator meus es tu, domine ne moreris,  
Gloria Patri. &c.

III.

Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua *Psal. 55.*  
judica me. Deus exaudi orationem meam: auribus  
percipe verba oris mei. Quoniam alieni insurrexerunt  
adversum me, & fortes quaesierunt animam meam, &  
non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Ecce  
enim Deus adjuvat me, & dominus susceptor est animę  
meę. Averte mala inimicis meis, & in veritate tua  
disperde illos. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor  
nomini tuo domine, quoniam bonum est. Quoniã  
ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos  
meos despexit oculus meus. Gloria Patri &c.

IIII.

In te Domine speravi, non confundar in æternum. *Psal. 30.*  
in iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam,  
accelera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectore;  
& in domum refugii, ut saluum me facias. Quoniam  
fortitudo mea, & refugium meum es tu & propter no-  
men tuum deduces me, & enutries me. Educes me de  
laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es  
protector meus. In manus tuas commendo spiritum  
meum, redemisti me domine deus veritatis. Gloria  
Patri &c.

*Quare Diabolus humana corpora aggreditur,  
& ingrediatur. Cap. VIII*

**N**on sunt cõfidentis de Dei bonitate fortè verba il-  
la, quibus Dæmoniacus aliquis se derelictum à *De quibus  
monendus*  
Deo putare indicat, cum se traditum obsessio-  
ni Diabolicę deprehenderit, quapropter maligni spi- *fit Dæmo-  
niacus.*  
ritus hinc trahentes favorem, sæviunt nimis. Pro talis  
itaque pravę opinionis extirpatione, scire debet Exor- *Vexatur  
aliquis à*  
cista, unde monere possit Dæmoniacum, quod invasio  
Diaboli non est firmum irę Dei argumentum, *Dæmone*  
cum ejus multiplex possit esse causa, & præcipuè *multa de*  
quintuplex: Quarum prima est propter dubium in fide *causa*

A †

remo-



removendum ; Sunt enim aliqui negantes Dæmones esse, quos ut moneat Dominus, permittit aliquos corporaliter, & sensibiliter quodammodo à Dæmone vexandos esse : Talibus autem non credentibus, potest illud domini verbum accomodari ; Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Ioan. 4. Secunda causa est propter peccatum alicujus grave puniendum, unde legimus. 1. Reg. 16. & 18. quod Saul propter inobedientiam possessus à Dæmone fuit : & Paulum tradidisse novimus Satanæ 1. Cor. 5. quendam Corinthum corporaliter vexandum, qui admonitus ut à carnali mixtione se Novercæ subtraheret, noluit. Tertia causa est propter alicujus obsessi gratiæ & meriti augmentum ; ut de Job patet, quem Dominus permisit acerbè à Dæmone tractari. Quarta causa est propter sanctitatis alicujus manifestationem ; unde ad divi Petri Apostoli perfectionem ostendendam, vult Deus quod frequenter, solo catena- rum tactu, quibus fuerat sub Herode vinctus, possessi à Dæmone liberentur, ut verificetur, mirabilem Deum in sanctis suis esse. Quinta verò causa est propter divi- næ operationis potentiam declarandam, cum enim Dæ- mones in nomine domini procul pelluntur, cognoscitur ejus potentia majorq; potentiâ Diaboli, etsi de poten- tia Diaboli dictum sit, quod non est potestas super terrâ, quæ comparetur ei. Hanc autem causam declarat illud Domini dictum Ioan. 9. Neque hic peccavit, neq; pa- rentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. His itaque rationibus & causis, erit efficaciter obsessus monendus de constanti fide, & spe de misericordia & boni- tate divina possidenda.

*Quomodo cognoscatur, an quis sit Dæmonia-  
cus, vel Maleficiatus.*

*Cap. IX.*

**C**Autè incedendum esse ante Exorcizationem ali-  
cujus à Dæmone Obsessi, officio Exorcistæ com-  
mendati, & omnes exorcistæ testantur, & suadet  
ratio. Fieri enim aliquando consuevit ut ab insolitis æ-  
gritudi-

gritudinibus corporis gravati, Dæmoniâci credantur, sive Maleficiati; pro quibus, non sine gravi deliberatione permiffa, officii dignitas, & Dei autoritas est fundenda. Ideo prius diligentiffimè inquirendum erit, an talis persona à Dæmone fit arrepta; posterius verò, an per maleficium. Primum autem commodè fieri poterit fequentibus tribus fignis; quorum primum probabilitatis est, & est quod fi ad impositionem alicujus sanctæ Reliquiæ super obsessum, sive benedictæ rei, ipfo ignorante; aut sacrarum manuum: & si sacra, aut sacramenta, & hujusmodi detestaretur; sive si propter aliqua arcta præcepta, & sancta dicta, ipsum horrere ac tremere videretur, aut dolores repentinos, sive torsiones insolitas, aut furentes motus pateretur; signum erit Diabolicæ præsentix. Secundum signum rationis est; quod si obsessus lingua alienarum nationum loqueretur; si de rebus arduis, & doctiffimis, & idiota fuerit; si occulta revelaret; si verè remota nunciaret, siq; aliquid alicui in aure sub silentio dictum sciret; idem esset judicium deducendū. Tertium verò signum Evangelii est; & est, quod aliquando à malis spiritibus cæcitas in patiente causatur; Ut patet Matth. 12. sicut aliquando Surditas; Marci 9. Aliquando impedimentum in lingua ad loquendum; Mat. c. 9. 10. & 12. Aliquando stridor dentium. Mar. 9. Aliquando emissio spumæ ex ore; Mar. 9. Aliquando clamor; Mar. 5. Aliquando incessio curvæ, & demissio faciei. Luc. 9. Obsessi aliquando patiuntur mutationem Lunæ, & videntur Lunatici; Matt. 17. Aliquando exunt se vestimentis; Luc. 9. Aliquando concidunt se lapidibus Mar. 5. Aliquando ruunt in ignem, sive in aquâ; Matt. 17. & Luc. 9. Aliquando fugiunt à domo, & conversione hominum; Mar. 5. & Luc. 8. Aliquando ardescunt, Mar. 9. Aliquando infirmantur; Luc. 13. Aliquando sæviunt nimis; Matt. 8. Atq; tandem vexantur multiformiter; Matt. 15. & 17. & Luc. 9. Hæc prius dicenda erant de signis Dæmoniâci. Posterius itaq; de signis maleficiati dicitur quod sunt duo præcipuè. Primum est exterius; Secundum est interius: Exterius est rumor;

*Infirmi, carendum est ne credantur Dæmoniâci. Signum probabile ad cognoscendum Dæmoniâcum.*

*Signum rationale ad cognoscendum Dæmoniâcū. Signa Evangelica ad cognoscendum Dæmoniâcum.*

*Signa maleficii intrinseca & extrinseca.*



quia aliquando maleficiati in omni parte corporis tumescere videntur: Aliquando verò & in omni alio corporis motu fessi nimis apparent, ita ut etiam ab aliquo motu penitus impediuntur; quemadmodum & per fumorem solet evenire. Aliquando autem, ut in pluribus, colorem (in facie præcipuè) cedrinum habent: Et cruciatus multos in membris omnibus diversimodè patiuntur. Interius autè signa maleficii apparent circa cor, stomachum, & ventrem. Primo circa cor; quia videtur Maleficiatis cor constringi, vel pungi vel quasi à canibus corrodi. Secundo circa stomachum; quia videtur ipsis os ventriculi constringi; non digerunt, etiam adhibito à medicis remedio, sed evoment sumpta; & aliquibus videtur quod à stomacho ascendat bolus, & descēdat, sed semper non statim, unde & ipsum deglutire volunt, non possunt, tandem autem à se ipso descendit. Tertio verò circa ventrem torsiones acerbissimas patiuntur, aliquando ipsis videtur per ventrem ventum discurrere frigidissimum; aliquando verò vaporem, quasi flamma ignis, ardentissimum. Pro quibus remedia ad tactum, ad odoratum, & gustum pertinentia vide infra. c. 15. 17. 18. Solerti tamen indagine in his omnibus deliberandum erit.

*Quomodo, & quid sit à Dæmonibus petendum. Cap. X.*

*Finis artis  
exercistica,*

**A**D cognoscendum quomodo possit error contingere in petitionibus obsidenti Dæmoni faciendis, & quomodo non, scire finem hujus artis necesse est. Est autem finis, Dæmonem velle, virtute divina, & autoritate nobis commissa, à nobis, proximis nostris, ne noceant, repellere. Quo stante, dicitur primo quod interrogationibus faciendis dupliciter potest error contingere. Uno modo respectu modi, sive medii ordinati ad finem prædictum, alio modo respectu finis prædicti. Sed respectu modi dupliciter; primo quan-

*Error dupliciter  
evenire*



mo quando modus petendi est pertinens ad amicitiam quamdam cum Dæmone, sive æqualitatem; secundo quando modus petendi est pertinens ad amicitiam & inferioritatem petentis, respectu Dæmonis. Sed quantum ad primum error potest dupliciter enenire scilicet Vel expresse: Ut deprecando, sive propter alicujus sacri reverentiam persuadendo: Vel implicite; & hoc dupliciter scilicet. Vel scienter ut incantationibus Magicis, & nominibus sive characteribus incognitis; Vel ignoranter; Orationibus, quæ creduntur bonæ, sed superstitiosa, & vana continent. Si autem quantum ad secundum; hoc est dupliciter; Vel scilicet ut à Diabolo, tanquam à Magistro aliquid discamus; Vel ut ab ipso, tanquam à Domino aliquid obtineamus. Alio quoque modo potest error contingere respectu finis; Et hoc dupliciter: Uno modo petendo quidem ordinabilia, sed non ordinata ad finem prædictum; Ut quando interrogatio fit de nomine spiritus, sive de ejus ordine, aut de sociis, ex sola curiositate. Alio modo petendo non ordinabilia ad finem prædictum; Ut quando interrogatio fieret de aliqua imagine inventa in suffossione agri, an scilicet sit Veneris, vel Palladis, & hujusmodi. Dico secundo quòd in interrogationibus faciendis non eveniet error, duobus servatis; Quorum primum est, quòd modus, sive medium ordinatum ad debitum finem, sit per modum præcipientis, & sine superstitione, ut cautum est. Secundum est quòd omnia sint immeditatè, sive reductivè ordinata ad debitum finem. Quibus omnibus suppositis & servatis, dico primo in generali, quòd omnis petitio, cujus fiendæ occurrat occasio, licetè fieri potest. Dico secundo in speciali, sequentes petitiones fieri solitas esse. Prima est de nomine, ut eo cognito scribatur, & in titulum super effigiandum Dæmonem in charta, ad comburendum ponatur: sicut declaratur infra Cap. 16. Et ut eo magis eum sacra verba perturbent, in quibus nominatum exprimatur; Atq; exemplo Christi, qui de nomine

*potest in petitionibus, ex ordinatis ad finem artis Exercitica.*

*Error dupliciter evenire potest in petitionibus, respectu finis huius artis.*

*Error non evenit in petitionibus duobus servatis. Decem solent esse petitiones Dæmonibus faciendæ.*

mine

mine aliquando quæsit, ut habetur Luc. 8. & Mar. 5. Et propter alios fines ordinatos ad finem prædictum principalem. Secunda interrogatio erit de sociis, & satellitibus, & eorum numero, ut etiam ipsis præcipiatur. Tertia, de causa ingressus, ut contrarium remedium apponatur. Quarta, si sit maleficium, ut apti Exorcismi legantur. Quinta de modo destruendi maleficium, ut cautius extirpetur. Sexta, quem maximè Angelorum ordinem, sive chorum, aut sanctum timeat, ad eum pro auxilio invocandum. Septima, quæ sacra verba magis abhorreat, ut replicentur. Octava, quem Dæmonem accerrimum inimicum, & amulorum habeat, ut contra ipsum citeretur. Nona, per quem Exorcistam sit expellendus, ut divinum inde iudicium probetur. Decima, quo die, sive hora exire se debere timeat, ut tunc ferventius insistatur. Et huiusmodi. Cavendum est autem curiosis digressionibus, & ne simpliciter credatur responsionibus, etsi non sint omittenda remedia cognita non nisi per illas, quæ prodesse quidem possunt, obesse autem nequaquam: Cavendum est etiam à spontaneis, multis, & dolosis Dæmonis locutionibus; Imò loqui prohibeantur aliquando, exemplo Salvatoris dicentis; Obmutescite, & exi ab eo. Marci 1. & Luc. 4. Quod & comprobatur per illud Luc. 5. qui inquit, quod Iesus Dæmonia increpans, non sinebat ea loqui. Sic itaque in petitionibus procedendum erit,

*Quomodo per nomen principalis spiritus ob-  
sidentis, cognitio potissimi medi  
liberationis obsessi deprehen-  
datur. Cap. XI.*

**S**Icut quidam Dæmones sunt, qui uni provinciæ; & Sali, qui uni Civitati; nonnulli verò, qui uni tantum homini depurantur; sic aliqui inveniuntur, qui uni vicio præsent, quia de illo vicio præcipuè valent homines tentare. Hinc est quod non raro, eodem tempore, in diversis Obsessis, plures maligni spiritus inveniuntur, qui



qui uno nomine nuncupantur, ab eodem enim hoc est  
 tentandi officio sive natura; Nomina namque propria  
 non habent, sed ex eorum officio imposita, sive natura.  
 Ideo cum ad manus Exorcistæ pervenerit aliquis Dæ-  
 moniacus, diligentissimè quærendum erit de nomine  
 spiritus principalis. Nomen autem huiusmodi vel reve-  
 labitur à spiritu respondente, virtute Dei; vel non reve-  
 labitur, propter aliquod à nobis cognitum altissimi ju-  
 dicium. Si non revelabitur, imponendum erit ipsi no-  
 men vile, & vituperationis; Ut, Fons viciorum, Pater  
 mendacii, Bestia bestialissima, & huiusmodi, & tali no-  
 minabitur, & scribetur; Processus verò contra ipsum  
 faciendi erunt communi Exorcizandi genere proceden-  
 tes. Si autem nomen revelabitur, & fuerit famosum ex  
 sacra scriptura, sive aliunde, propter ejus significati-  
 onem, cognoscetur ipsius natura sive officium; & ex conse-  
 quenti, viciū, super quo potestatem habet: quapro-  
 pter virtutibus tali vicio immediatè contrariis, utilissi-  
 mum erit uti. Si igitur (exempli gratia) inveniatur  
 aliquis malus spiritus, qui vocetur Mammona, quod  
 secundum Syros, divitiæ dicitur, & propterea depre-  
 hendatur quod illis utitur ad homines fallendos; am-  
 plexu paupertatis præcipuè & eleemosynis, etià in actu  
 conjurationis misericorditer effusus, contra ipsum stan-  
 dum erit. Si autem revelabitur nomen & non fuerit fa-  
 mosum & cognitum, à probis viris erit interpretandum  
 secundum etymologiam latini idiomatis, vel græci, vel  
 hebraici, vel alicujus alterius linguæ, vel etiam secun-  
 dum compositionem ex his, & illi postea adversabitur  
 modo prædicto de nomine cognito. Hoc autem erit  
 (gratia Dei assistente) potissimum medium liberatio-  
 nis Obsessi.

*Quare di-  
 versi spiri-  
 tus nomine  
 eodem vo-  
 cetur.*

*Quarendū  
 est nomen  
 principalis  
 spiritus.*

*Nomen ali-  
 quando  
 imponendū  
 est spiriti-  
 bus.*

*Nomen spi-  
 ritus reve-  
 latum si  
 fuerit fa-  
 mosum,  
 quid agen-  
 dum.*

*Si nomen  
 spiritus re-  
 velatum  
 non fuerit  
 famosum  
 quid agen-  
 dum.*

*De diversis nominibus Diaboli, & eorum in-  
 terpretatione. Cap. XII.*

**P**ropter prædicta in præcedenti Cap. xj. De nomine, *Multa no-  
 mina De-  
 monia ex-  
 prex*  
 & interpretatione nominis spiritus principalis, in  
 corpore obsessi existentis, inquirenda; atque pro-





*sacra scri-  
ptura, in-  
terpretata.*

pter aliquas occurrentes opportunitates, aliqua Diaboli nomina, cum suis interpretationibus recensebo. Et primo de illis sermonem faciam quæ ex sacris litteris habentur; secundo verò de illis, quæ aliunde sumuntur. Quantum ad primum dico quod vocatur præcipue Diabolus; ut habetur 1. Pet. 5. Quod interpretatur defluens, quia defluxit & corruit de caelo; vel interpretatur Clausus ergastulo, quia non permittitur tantum nocere, quantum vellet. Item, vocatur Damon, ut habetur Ioan. 8. Quod est sciens, quia habet trinam scientiam. Item vocatur Behai, et habetur Num. 1. Quod interpretatur sine iugo, quia contra domnum pugnas, pro posse, nollet ei esse subiectus. Itē, Beelzebub, ut habetur Luc. 11. Quod interpretatur vir muscarum, id est, animarum malarum. Vocatur Satanus, ut habetur 1. Pet. 5, id est Adversarius, quia adversatur Deo, & nobis. Vocatur Behemot, ut habetur Job. 41, id est Bestia, quia homines semper quærit bestiales facere. Vocatur Leviathan, ut habetur Isa. 27. id est additamentum, quia quærit ut homines peccata peccatis addant. Vocatur Mammona, ut habetur Luc. 19. id est Divitiæ, quia illis utitur ad homines fallendum. Vocatur Lucifer, ut habetur Isa. 14. id est ferens lucem, quia in malum mentes hominum illuminat. Dicitur Peccator, ut habetur Ioan. 6. Quia ab initio peccavit, & quærit nos peccare. Dicitur Exterminator, ut habetur Apocalypsis. 9. Quia homines extra terminos rationis quærit ejicere. Dicitur Mors, ut habetur. Apoc. 11. Quia autor mortis fuit. Dicitur Aquila, ut habetur Prov. 30. Quia sublimiter volat in malicia, ne ab hominibus intelligatur, Vocatur Bos, ut habetur Job. 40. Quia quærit homines spiritualiter devorare, qui fenum dicuntur, juxta illud Isa. 40. Omnis caro fenum. Dicitur Gigas, ut habetur Job. 16. Quia superbè contra Deum, & nos erigitur. Vocatur Leo, ut habetur 1. Pet. 5. Quia homines quærit spiritualiter devorare. Dicitur Nox, ut habetur Psal. 18. Quia quærit obscurare mentes hominum.

num. Vocatur Ostium, ut habetur Job. 38. Quia illis  
 consentiendo introimus per portas mortis. Dicitur Co-  
 luber, ut habetur Isa. 14. Quia quærit nos mortifi-  
 cando perdere. Vocatur Rex ut habetur Job. 41. Om-  
 nium videlicet filiorum superbiæ. Dicitur Serpens,  
 ut habetur Isa. 61. quia occultè nobis insidiatur. Voca-  
 tur Viculus, ut habetur Exo. 32. Quia homines quæ-  
 rit indomitos facere. Vocatur Aquilo, ut habetur Job.  
 26. Quia homines tumiditate inflare contendit. Dici-  
 tur Aspis, ut habetur Psal. 9. Quia veneno peccati quæ-  
 rit homines perdere. Vocatur Avis, ut habetur Luc. 8.  
 & Job. 40. & Deut. 32. Quia seminarum in corde ho-  
 minis & natum germen nititur consumere. Dicitur  
 Aer, ut habetur. 1. Cor. 9. Quia nos undique subtiliter  
 circumvenit. Vocatur Basiliscus, ut habetur Psal. 9.  
 Quia nos ictu oculorum sua malitiæ, & furoris optat in-  
 terimere. Dicitur cadaver; ut habetur Psal. 14. Quia  
 horribilis est & omni malo putridus. Vocatur caligo,  
 ut habetur Psal. 17. Quia obumbrare quærit rationales  
 mentes. Dicitur Catulus, ut habetur Iudic. 14. Quia  
 tēptās latrat nimis, ut exterreat animā. Vocatur Faber,  
 ut habetur Isa. 54. Quia semper construit aliquod mal-  
 um. Dicitur Fortis, ut habetur Luc. 11. Quia fortiter  
 dimicat contra nos. Vocatur Impius, ut habetur Job. 9.  
 Quia impiè operatur cōtra Deum, & nos. Dicitur Ex-  
 actor, ut habetur Job. 3. Quia exigit à nobis semper mal-  
 um. Vocatur Malleus, ut habetur Hier. 50. Quia nos  
 percutere insistit. Dicitur Porcus, ut habetur Luc. 15.  
 Quia nos immundos vellet. Vocatur Servus, ut habetur  
 Job. 40. Quia invitè servus Dei est, & nos peccatis, &  
 sibi servire studet. Dicitur Vestis, ut habetur Isa. 27. &  
 Psal. 106. Quia nos non resistendo suis regectionibus,  
 claudimur ergastulo. Vocatur Ascensor, ut hab. Exo.  
 15. Quia in nobis, more suo, superbia cupit ascendere.  
 Dicitur Vipera, ut habetur Job. 20. Quia contra nos li-  
 voris venenū emittit. Vocatur Venator, ut habetur Psal.  
 90. Quia animas nostras capere quærit. Dicitur Milvus  
 ut habetur Zach. 5. Quia nocturno deceptionis tempore  
 rapi-



rapinas quærit animarum. Vocatur Coetus, ut habetur Job. 7. quia in mari magno, & spacioſo mundi hujus, prædando vagatur. Dicitur tandem Civis, ut habetur Luc. 11. Civis inquam inferni, cujus & nos eſſe procurat. Quantum ad ſecundum dico quod quamvis multa ſint nomina, quæ aliunde quàm à ſacro litterarum fonte hauriantur, illa tantummodo in præſenti producam, quæ ex actibus D. Ber. habentur, qui reſponſum accepit à Dæmone, aliquod corpus obſidente; quod ibi eſſent tres: primus vocabatur claudens cor; ſecundus, claudens os: tertius verò claudens maſſupium. Hæc & his ſimilia nomina ſunt, quibus malus angelus nuncupatur, & non tantùm unius, ſed plurimorum poſſunt eſſe, ſecundum ejuſdem officii ſive naturæ participationem.

*De Natura Dæmonis ex his, quæ colliguntur à Magiſtro ſententiarum  
cognoſcenda.*

*Cap. XIII.*

*Dæmonis  
hiſtoris  
quodam-  
modo, na-  
tura &  
proprietates.*

**V**T Exorcista de Natura Dæmonis plenius inſtruat, & ſciat quò confugere debeat, neceſſitate urgente, conſiderare debet loca præclariffimi Magiſtri Sententiarum, Lib. ſecundi præcipuè, in quibus lucidiſſimè de eadem diſſerit; mature tamen pertractâs articulos illos, in quibus Magiſter communiter non tenetur. Igitur ſi occurrat ſcire quomodo dixerit Lucifer, ſecundum Iſa. 14. Ascendam in cœlum, & ero ſimilis altis. cum eſſet in Cœlo. Quærendus erit Magiſter, lib. 2. Sent. diſtinct. 2. cap. 8. Si ſcire deſiderat an de majoribus ſpiritibus, & minoribus quidam ceciderint inter quos unus fuerit celiſior ſcilicet Lucifer; ut ſupra, Diſtin. 6. ca. 1. Si velit ſcire unde, & quo dejectus fuerit; Videat ut ſupra cap. 2. An ſit in inferno religatus ex quo tentavit Chriſtum, & victus fuit, quem dicunt primum hominem tentâſſe, & viciffi; Videat ut ſupra, c. 6. An habeat poteſtatem, quam habebit tempore Antichriſti;



christi; Videat ut supra, cap. 7. An verò Dæmones fuerint creati boni vel mali; Videat ut supra, distinct. 3. ca. 6. 7. & 8. An triplex fuerit in eis sapientia ante casum, vel confirmationem; Videat, ut supra, cap. 9. An alicujus rei habuerint dilectionem, vel sui invicem; Videat, ut supra, cap. 10. An fuerint præcii sui casus; Videat, ut supra, distinct. 4. cap. 1. An fuerint beati ante lapsum; Videat, ut supra, cap. 3. An fuerint perfecti secundum aliquid, & secundum aliud imperfecti; Videat ut supra, cap. 4. & 5. Quales fuerint in aversione; Videat ut supra cap. 6. De aversione, & eorum lapsu; Videat ut supra, distinct. 5. cap. 1. An habuerint liberum arbitrium; Videat ut supra cap. 2. An sit imputandum illis, quia aversi sunt; Videat ut supra. cap. 5. An sit concessum eis habitare in cœlo, vel in terra; Videat ut supra distinct. 6. cap. 3. An intenses se alii aliis præsentent & habeant aliam prælationem; Videat ut supra, cap. 4. An omnes sint in hoc Aëre caliginoso, & an aliqui sint in inferno. Videat ut supra cap. 5. An semel victi à Sanctis accedant amplius ad alios; Videat ut supra cap. 8. An sint ita obdurati in malo ut bene vivere nequeant; Videat ut supra distinct. 7. cap. 1. An habeant liberum arbitrium, & flecti possint ad utrumque; Videat ut supra, cap. 2. An vivacem sensum perdididerint, & quibus modis sciant; Videat ut supra, cap. 5. An Magicæ artes virtute & scientia Diaboli valeant, & an hæc virtus sit ei data à Deo, vel ad fallendum malos, vel ad monendum & exercendum bonos; Videat ut supra cap. 6. An illi serviat ad nutum materia rerum visibilium; Videat ut supra. An Dæmones sint creatores cum per eos Magi Ranas, & alia fecerint; Videat ut supra cap. 8. 9. & 10. An multa possint per naturæ vigorem, quæ non possent propter Dei, vel bonorum Angelorum prohibitionem; videat ut supra cap. 11. An intrent corpora hominum substantialiter, an illabatur mentibus illorum; Videat ut supra distinct. 8 cap. 5. An cuicumque animæ sit angelus malus ad exercitium; Videat ut supra distinct. 11. cap. 1. De maleficiis autem aliquo modo, videat eun-

dem Magistrum. lib. 4. Sententiarum, distinct. 34. Hæc sunt, huiusque similia, quæ de malorum spirituum natura, ex prædictis colliguntur locis.

*De natura Dæmonis ex his, quæ à diversis referuntur, cognoscenda.*

*Cap. XIV.*

*Notabilia  
multa pro  
exorcistis.*

**P**ræter ea, quæ recollecta sunt in præcedenti cap. 13. multa sunt De natura Dæmonis scienda, quæ tum à Theologis, tum à Philosophis feruntur. A Theologis autem præcipuè relata sunt illa, quæ continuo subnectuntur, & de illis copiosius legendi loca signantur; Propterea si quis cupit scire quomodo Diabolus loquatur homini; Legat lib. 2. cap. 19. Compendii Theologiæ. Vel si cupit scire Dæmones in malitia quales sint; legat ut supra, cap. 26. Aut si cognoscere quæ nocumenta homini inferant, & quomodo ipsos decipiant; legat ut supra, cap. 27. In his omnibus non obliviscatur lib. Malleus maleficarum nuncupati, in quo copiosè de Dæmonibus, & maleficiis agitur. Dicerem insuper qua causâ diabolus ingreditur humana corpora, & de modo quem tenet, & hoc aliter quam prius; Sicut & de Maleficiis; De signis quibus cognoscitur maleficiatus; De conditionibus Exorcistæ, & qualiter se præparare debeat. Dicerem de signis, quæ apparent quando Sacerdos conjurat maleficiatum; De modo quem tenet Diabolus ad egrediendum de corporibus; De deceptionibus, quibus utitur ad Exorcistam decipiendum; Aliaq; ad hoc opus nostrum necessaria: Sed quia hæc omnia plenè habentur in tertia parte lib. Sacerdotalis, post compendium Musicæ, ideo illa taciturnitate pertranseo. Reliquum esset ut per opiniones etiam Philosophorum discurrerem, sed fortè id non expedit in præsentî. Assigno tamen autores Philosophos, locaque, in quibus de natura Dæmonis aliquid ab ipsis differitur, & hoc ut si quæ sunt retinenda retineantur, & omittenda mittantur. Regressum itaque

*Notabilia  
multa pro  
Theologis  
exorcistis,*



iraque habere poterit curiosus talium investigator, ad *& Philoso-*  
 Platonem multis in locis, sed præcipuè in Symposio; *phis.*  
 Ad Proculum, in commento Platonis Alcibiadis; Ad  
 Chalcidium, in commento Thimei Platonis; Ad Por-  
 phirium, in lib. de occasionibus, & in lib. de Responsis  
 Philosophorum; Ad Jamblicum, in lib. de Misteriis  
 Ægyptiorum, & Caldeorum, Assyriorum; Ad Aristo-  
 telelem, in lib. de mirabilibus mundi, quia ibi de Dæmo-  
 nibus mentionem facit, referente Apulejo; ac Averroce,  
 in Epistola de resurrectione, in lib. de somno, & in lib.  
 Disp. Disputatione 3. Ad Lucium Apulejum Med. in  
 lib. de Deo Socratis: Ad Mercurium, in Pimandro, de  
 Potestate & sapientia Dei lib. Ad Plotinum, in lib. de  
 proprio cujuscunque; Ad Zenocratem, in lib. de Mor-  
 te; ad Algazelem, in sua Metaphysica, & in lib. de ani-  
 ma; Ad Psellium, in lib. de Dæmonibus. ad Eurychium,  
 Aug. Niphum Phyloteum, in lib. de Dæmonibus; Ad Io-  
 Franciscum Picum Comitum Mirandulæ, in lib. suæ Stri-  
 giæ. Sed & ad Ioann. Laurentii Ananiæ Tabernatis, in li-  
 de Natura Dæmonum; & Andream Cæsalpinum de  
 Blancis Aretinum, in lib. Investigationis peripateticæ  
 Dæmonum; Adq; tandem omnes Platonicos, Quam-  
 plurimosque alios, quos brevitatis causa omisos in  
 præfenti facio, & ad alia jam me currenti calamo per-  
 stringo.

*De pertinentibus ad fugam Dæmonis, & Ma-  
 lesiciorum destructionem ex his, quæ tactu  
 inferuntur. Cap. XV.*

**S**acrandas res esse, usui tum divino, tum humano, *Res pro asis*  
 & præcipuè in infirmantibus applicandas, S. Ale- *Dæmoniaci*  
 xander Papa 1. Epist. fratribus per Ægyptum *benedicēda*  
 verbo, & opere docuit. Ex quibus sacrandis sive be- *sunt.*  
 nedicendis rebus, cum de aliis, quæ ad tactum per-  
 tinent, huic nostro operi deservientibus, nunc ratio  
 sit habenda; prius de principalioribus, posterius  
 autem de consequentibus determinandum est.

*Quibus  
tangibili-  
bus expel-  
latur dia-  
bolus.*

Dico itaque quod principalia, quæ ad tactum referuntur, duo sunt. Primum est Aqua; secundum est Oleum: Aqua est duplex; Primum pertinet ad asperionem; secunda verò ad ablutionem. Oleum autem adducitur ad unctiorem. Asperio Aquæ fieri debet super obsessis, maleficiatis, & benedicendis rebus, quando & quomodo suis locis dicetur. Ablutio deinde committi debet à Maleficiatis, & Dæmoniacis, ad Exorcistæ libitum. Unctio verò ex oleo inferri debet super Maleficiatis quomodocumq; declarabitur. Sed omnia ista benedicenda sunt. Itaque communis Aquæ benedictio talis est.

Verf. adjutorium nostrum in nomine domini,  
R. Qui fecit cælum, & terram.

### *Exorcismus Salis.*

Exorcizo te creatura Salis per Deum † vivum, & per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum qui te per Eliseum Prophetam in aquam mittit iussit ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris Sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus sumentibus te sanitas animæ, & corporis, effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris omnis phantasia, & nequitia, versutia Diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

### *Oratio.*

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam Salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene † dicere, & Sancti † ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus, sumentibus salus mentis & corporis: & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia omnique impugnatione spiritualis nequitie. Per dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat &c.

*Exorcis-*



*Exorcismus Aquæ.*

Exorcizo te creatura Aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis †, & in nomine Iesu Christi † filii ejus, domini nostri, & in virtute Spiritus sancti †; ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cū Angelis suis apostaticis. Per virtutem ejusdem domini nostri Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

*Oratio.*

Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti; adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua ministeriis tuis serviens, ad abigendos Dæmones morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa; non illic resideat spiritus pestilens; non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiet, ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita; ab omnibus sit impugnationibus defensa.

Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui &c.

Hic mittat Sal in aquam in modum crucis semel dicendo.

Commistio salis & Aquæ pariter fiat; in nomine Patris, † & filii †, & Spiritus Sancti, † Amen.

Vers. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

*Oratio.*

Deus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperiū

B 3

Rex

ut benedicaris † ad eò quod extinguatur in te virtus Diaboli, & transeas in unctionem spiritalem ad omnia Maleficia destruenda, ad omne opus Diaboli eradicandum. & ad omne opus Phantasma cujuscumq; adversarii fugandum, & quicumque ex te unctis fuerit, sit ignis destruens omnia maleficia, sit terribile adversus omne opus diaboli propugnaculum, sit gloriosus omnium phantasmatum nocentium victor, & sanitatem perfectam in utroque homine adipiscator. Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

*Oratio.*

Miserator domine Deus omnipotens, qui Oleum unctionis sanctæ super caput Aaron servi tui fundi mandasti, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & in hanc creaturam olei virtutem tuæ gratiæ, † benedictionis, † & sanctificationis infunde, ut sicut ex olivæ ligno producto, in usum humani generis cadit, ita à te, plenitudine tuæ sanctificationis resperso, sit tormentum Diaboli, sit omnium operum Sathanae destructio, atque omnium maleficiorum, factorum, & incantationum exterminatio, ut quicumque ex eo inunctus fuerit, efficiatur malignis spiritibus vas tremendum, virtute divina repletum, ad evertendas omnes iniquas machinationes visibilis, & invisibilis hostis, & ad malas facturas quomodocumq; factas destructiva propulsatio, ut sanitatem mentis & corporis, te largiente benignè suscipiat. Per te dominum nostrum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Quo peracto, aspergatur Aqua benedicta. Hæc dicta sunt de principalioribus remediis, contra Dæmones, & Maleficia ex tactu parandis; De consequentibus itaque est subnectendus sermo, & dicendum quod cruciatur quoque Diabolus sacrarum manuum impositione; crucis signaculo in qua parte opus fuerit, sacro digito facto; vinculis stola complexis; sanctarum reliquia-



reliquiarum applicatione; Aquæ benedictæ aspersione; frequenti insufflatione; pedum conculcatione; & his similibus. De quibus omnibus hic præfigatur conclusio.

*De pertinentibus ad expulsionem Diaboli, ex visibilibus.*

*Cap. XVI.*

**Q**uantum ex aptis visibilibus appositis, maligni spiritus, qui in humanis corporibus resident, excrucientur acerbè experientia testatur. Hinc enim cum & Exorcistæ excitetur fervor, ad efficacius insistendum & obsessæ personæ fides augeatur, spes, & devotio, ad fortius resistendum; Ac utriusq; jam de proximo reportandæ victoriæ ( ut improbi timent spiritus ) videantur præsignia, non possunt non molestissime ferrè. Visibilia igitur hujusmodi, modumque usus ipsorum debet Exorcista: Sciat itaque quod talia sunt in duplici discrimine: Alia enim valent ad contemnendum; alio verò ad comprimendum. Quæ pertinent ad contemnendum duo sunt: Primum est nomen Dæmonis scribendum; Secundum est imago pingenda, De nomine namque principalis spiritus, sive principalium ( si plures sint ) est in primis maligais spiritibus interrogatio facienda, ut dicitur supra. cap. 10. Quod, vel ipsis revelantibus, cognoscetur, vel non: Si primum eveniet, scribatur nomen in charta membrana, litteris majoribus, & patentibus; Si autem secundum, adinveniuntur nomina, derisiva ( ut aliquibus placet ) sed vituperativa, ut dicitur supra cap. 11. & similiter scribantur, ad contra ipsum, modo infra dicendo, procedendum. Secundum pertinens ad contemptum est imago spiritus principalis corpus humanum obsidentis repræsentativa depingenda in charta prædicta, effigie horribili ac turpi. Hæc sunt quæ pertinent ad cōtemptrum, quæ forte convenientius à probato exorcista ita disponentur, quid videlicet, effigiatò Dæmone, super ipsum in eadē charta

*Visibilibus  
excrucian-  
tur Diabo-  
lus.*

*Quomodo  
cōtēendus  
sit Diabo-  
lus.*

*Imago Dæ-  
monis est  
depingen-  
da, & no-  
men scri-  
bendum.*

scribet, modo prædicto, vel revelatum, vel illi nomen impositum. Quibus ita dispositis adversetur Diaboli, vel in nomine tantum, sive in effigie tantum, aut in utroque manuum sacrarum, sive stolæ, aut benedicto olivarum furculo, percussione, tum conspuitationibus pedum conculcationibus; despectivis projectionibus, ac fetidis suffumigiis. Pro quibus parandis, excute ex silice percussio ignem novum, & succensis carbonibus, benedicatur benedictione sequenti.

Verf. adjutorium nostrum in nomine domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

### *Exorcismus ignis.*

*Exorcis-  
mus ignis  
suffumiga-  
tionum.*

Exorcizo te creatura ignis per dominum Deum creatorem tuum, qui ignis consumens est; per Deum, qui Moyfi servo suo, in monte Sinai, speciem gloriæ suæ quasi ignis ardentis, in conspectu filiorum Israel, ostendit; Per Deum, qui in die adventus Gog super terram Israel, pluviam igneam, & sulphuream demittendam sponndit; ut sanctificeris, & efficiaris divinæ ultionis instrumentum, ad omnem superbiam invisibilium hostium coercendam; & in te horribilis suffumigationis speciebus susceptis, tenebrosum ita fumum emittas, ut inde virtute divina à corpore obsessio compulsis, non esse in creaturis potestatem agnoscant, quæ omni potentia creatoris æquari possit. Et per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

### *Oratio.*

Omnipotens sempiternæ Deus, à cujus facie cœli distillant, & montes sicut cera liquefcunt, qui à Machabæo famulo tuo, igne de lapidibus ignitis concepto, sacrificium benigne in templo sumpsisti; ita benigne nunc super hunc ignem è silice percussio productum, respiciendo benedicere, † & sanctificare dignare, † ut sit malignis spiritibus timendum, pariterque tremendum spectaculum, gehennæ horroris Inferni repræsentativum, & ipsis actualis pœnæ expulsionis inflicivum; atque



atque iusti iudicii ignis furoris tui, ardentis usque ad inferni novissima, rememorativum; ut confusi evanescant, & à plasmate tuo tremantes discedant, atq; quod tuum est, omnimodè liberum derelinquant. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Quibus peractis, aspergatur Aqua benedicta; Et deinde pro suffumigatione.

R. Rutæ  
Asterattici,  
Sulphuris, &  
Alsa fetidæ.

} An. Unc. 2.

Suffumi-  
gatio hor-  
ribilis.

& benedicantur benedictione sequenti.

*Exorcismus suffumigationis.*

Exorcizo de fumigabunda materia per Deum omnipotentem; qui pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur & ignem de coelo, & subvertit civitates illas, & omnem circa regionem, atque universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia, ita ut ascenderet favilla de terra, vidente Abraham, quasi fornacis fumū, ut benedicaris, † & involvas ita spiritus tenebrarum, quod in caligine infernalis horroris ipsis esse videatur, quandiu humanum corpus occupaverint, & quod Die est invaserint, ita ut statim à loco fugere cogantur, fumum tormentorum suorum ascendere necesse esse intelligentes, in secula seculorum. Amen.

Exorcis-  
mus suffu-  
migationis  
pro contē-  
nendo Dia-  
bolo.

Tunc Exorcista accipiat chartam membranam, ex nomine sive imagine Diaboli compictam, & dicat orationem sequentem.

*Oratio.*

Omnipotens altitronans unice, qui post tonitrua multa, ac micantia sydera, post nubes densissimas montem Sinai operientes, ac clangorem Buccinæ vehemētius perstreptentem Moyse servo tuo loquenti, in igne, ascendente ex eo fumo quasi de fornace respondisti; benedicere, † & sanctificare, † in manu forti & brachio

Extentō

Extentio, hanc fumigationis materiam præparatam, digneris, ut ille in nomine, sive Imagine designatus divinæ tuæ majestatis adversarius. N. qui primum locum inter alios malignos spiritus, in corpore. N. creaturæ tuæ obinet, potenti fumo confusus, & virtute tuæ benedictionis prostratus, tormentetur ita & quatiatur, quod victus existat, te victore, qui vivis & regnas in secula seculorum, Amen.

Finita benedictione, Profumigatio aspergatur aqua benedicta, deinde suffumigabundis speciebus in igne projectis, effigiem prædictam manu super ignem gerat, superque fumum, ter dicendo,

Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum, Quoniam justus dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

Ista sunt visibilia, quæ valent ad contemnendum Diabolum, vel inter Exorcismos, vel quodcumque sapiens Exorcista decreverit. Consequenter igitur de illis, quæ valent ad ipsum comprimendum disseratur. Dicitur itaque, pro eorum initio, quod servatis quibuscunque supra in hoc capite immediatè propositis, ab excussione ignis, usque ad verba fumigationis inclusivè; Exorcista dimissa charta membrana cum nomine in ipsa effigiari Diaboli; sollicitè, & quasi aliquid faciendum accelerans, operetur secundum formam post exorcizatione 3. dispositam, loco in margine declarato.

*Quomodo  
comprimē-  
dus sit  
Diabolus.*

Et ista sunt visibilia, quæ valent ad comprimendum Diabolum. Huic etiam ordini compressionis deserviet crux lignea, vel ex aliquo metallorum genere compacta, qua Exorcista quando voluerit uti, ostendat ex oculis Obsessi, malis spiritibus. dicendo.

Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit; accinctus est potentia, surrexit die tertia. Ecce crucē domini, fugite partes adversæ: vicit Leo de tribu Juda Radix David.

Poterit etiam Exorcista, secundum occurrentes oportunitates, ostendere spiritibus malis Sanctissimum Eucha-



Eucharistiæ Sacramentū ; nec non Dei , Beatæ virginis , aliorumque Sanctorum , & Sanctarum Dei Imagines ; extorquendo vi dicendum , vel faciendum , His itaque Spectaculis , ex visu procedentibus , tormentandus erit inimicus Dei , & hominum .

*De odorabilibus effumigabundis ad incursum  
Maleficos , ac Diabolicos expellendos .*

*Cap. XVII.*

**F**Umo particulae incensæ , cordis Piscis immanis , à Tobia jussu Angeli apprehēsi , omne genus Dæmoniorum extirpari ; sive à viro , sive à muliere , sacra testantur eloquia . Tob. 6 . Fumoque diversarum simplicium plantarum , ac compositarum aggregationum idem præstare , aliquorum Philosophorum dogmata probant : Ideo hoc loco de odoratis profumigationibus , dum dixerō , non in vanum me laborare putabo ; Itaque duo esse odorabilia propono ; quorum primum immediatè malignis spiritibus adversatur ; Secundum verò est Maleficiorum destructor . Primum tale est .

℞ . Seminum Hypericonis ,  
Rutæ , &  
Incensi . } An Drac , vj .  
Secundum autem tale esse oportet .

℞ . Thuris optimi ,  
Mirrhæ ,  
Storacis calamitæ ,  
Galbani ,  
Laudani , &  
Gariofilorum . } An , Drac , x .  
Musci Grana duo .

*Suffumigium contra malignos spiritus .*

*Suffumigium contra maleficia .*

Et omnia simul non multum contunde .

His propositis animadvertendum est , quid & si primum immediatè malignis spiritibus adversetur , valet etiam pro secundo ; sicut etsi secundum immediatè maleficiis contraveniat , valet nihilominus etiam pro primo ;

primo; Propterea quodcumq; ipsis uti opus fuerit, hoc sequenti benedicantur modo.

Verf. Adjutorium nostrum in nomine domini,

R. Qui fecit caelum & terram,

*Exorcismus suffumigabilium.*

*Exorcismus suffumigationis contra malignos, spiritus, & maleficia.*

Exorcizo te composita effumigationis materia per Dominum Deum, creatorem caeli, & terrae visibilium omnium, & invisibilium, cujus sancto nomini cum Salomon filius David mirabile templum struxisset; ad adolendum quoque incensum coram illo, fumiganda quem aromata, consecravit; ut benedicaris, † & talem de caelo venientem virtutem recipias, ut sis malignis spiritibus expulsio sempiterna; atque incantationum, factorum, maleficiorumque omnium, Magorum, Strigium, aut Divinantium perpetua comminatio, ita ut quicumque, fumo ex te accepto, odorem senserit, careat omni immunditia Diabolicae fraudis, & maleficiorum omnium generum ligaminibus contractis liberius servire valeat redemptori suo, qui venturus est judicare vivos & mortuos; & seculum per ignem. Amen.

*Oratio.*

Domine Sancte, Pater omnipotens aeternae Deus, qui loquens ad Moysen servum tuum Aaron Fratri suo mandari praecipisti, ut post Vituli sacrificium assumpto thuribulo, quod de prunis altari impleisset, hauriens manu compositum Thymiana in incensum, ultra velum intraret in Sancta. & positus super ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiret oraculum, benedicere, † & sanctificare, † & consecrare † digneris hanc compositam suffumigationis materiam, ut ubicumque nebula, & vapor, ac odor ipsius pervenerit procul inde perfidus Sathan, a tuis viribus contractus absistat, & spiritus sanctus a tua sede dimissus absistat; atque quicumque, ex ea fumum sumperit, a malignorum quorumcumque spirituum invasione liberetur, & ab omni maleficio quomodocumque facto vacuetur. Per dominum nostrum Iesum Christum filium



lium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

His finitis, aspergatur aqua benedicta; & quando ex dispositione Exorcistæ, ad ipsorum usum opus erit accedere, vel primum, vel secundum juxta intentionem operandi, projiciet in igne suffumigium; ignis autem sit accensus, & benedictus, ut dictum est in præcedenti cap. 16. & inde ascendente fumo, faciat Exorcista quod patiens persona, facie super fumum conversa, totum vaporem fumi suscipiat; Dura manu posita super vertice capitis illius, dicat.

*Suffumigium quomodo uti debeat Exorcista.*

Extinguatur in te virtus Diaboli, benedictæ suffumigationis virtute, & per impositionem manuum nostrarum, hinc per invocationem Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Sicque quodcumque sibi videbitur, totum ordinem odorabilium, ad incursum Maleficos, ac Diabolicos expellendos compleat.

*Despectantibus ad everisionem Diaboli, & Maleficiorum, ex Gustu applicandis. Cap. XVIII.*

**I**N numero sensibilibus ad Dæmonem comprimendum, & maleficia destruenda, illa, quæ ad gustum pertinent, præcipua esse videntur. Ex quibus duo principalia sunt; Quorum primum spectat ad nutrimentum, & adversatur immediate Diabolo; Secundum pertinet ad medicamentum, & adversatur præcipue Maleficio. Primum duplex est; Vnum est comestibile; aliud verò potabile; Quod est comestibile duplex est; Primum est panis; Secundum est caro hædina, de qua dicitur quod maximè Dæmones provocat, unde si per triginta continuis diebus, qui creditur vexatus à Dæmone, illis vesci non possit, arbitratur à Dæmo-

*Hædina caro Dæmones maximè provocat.*

à Dæmone possessus? C. II. VII. Q. II. in Textu, & in glo. Potabile quoque est duplex; Primum est vinum; Secundum est Aqua; qua utantur in potu illi, qui febre quoque laborant, & iussu medici à Vino, vel penitus abstinēt, vel ex parte jejument. Comestibile autem, sicut potabile non sumantur, nisi sequenti prius benedictione afficiantur. Exorcismus nutrientium sumentorum.

*Exorcismus comestibilem, & potabilem contra malos spiritus.*

Exorcizo te nutrimenti præparatio præsens per Dominum Deum omnipotentem, trinum & unum, qui populo suo Israelitico panem de cælo ad vescendum, in solitudine pluit; per Deum, qui carnes hostiæ gratiarum eadem immolationis die comedi mandavit; per Deum, qui in sanctificatione primitiæ Messis, non tantum Agnum anniculum cædi holocaustum, & alia ejusmodi, sed libam quoque vini quartæ partis Hin offerri voluit; Perque Deum tandem, cujus spiritus, in creatione cæli & terræ, ferebatur super aquas, postea firmamento divisas; ut sis omnibus sumentibus te, sanitas mentis & corporis; & visibilem, atque invisibilem, hostium propulatio; ac maleficiorum omnium extirpatio; Sis tutela salutis, sis clypeus fortis, sis murus inexpugnabilis ad omnem virtutem, virtuti divinæ rebellem, divinitus repellendam: Per eundem Deum, & dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

*Oratio.*

Omnipotens æterne Deus, qui per Moysen servum tuum, filius Israel, carnes assas igni, hædi absque maculi, masculi, anniculi, comedi mandasti; & eisdem sitientibus, per manum e usdem, uberem aquam de Petra fluere concessisti; Quique per unigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, copiose multitudini, ex quinque tantum panibus, & duobus piscibus, in monte mensam parasti; & ad nuptias ex aquæ materia vinum mirabiliter effecisti; benedicere, † & sanctificare † digneris, hanc nutrimenti præparationem, & propitius



pitius concedere, ut dum superbit impius tuæ divinæ majestatis adversarius, & de inhabitatione in humanis corporibus gloriatur, à suo desiderio fraudetur, & comprehendatur in cōsiliis, quib. cogitat diu nocere, vel personali sua inhabitatione, vel malefica infectione, illis suo impetu perturbatis, qui præsentia comestibilia, & potabilia sunt sumpturi. Per eundē dominū nostrum Iesum Christum filium tuum, qui carnem suam verè cibum, & sanguinem potum esse nos docuit, & vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Secundum ad gustum pertinens, quod adversatur immediatè Maleficio, medicamentum dicitur: Et est triplex: Primum dicitur præcedens, & pertinet ad solutionem Malefici; Secundum dicitur consequens, & pertinet ad emissionem sive vomitionem ejusdem; Tertium autem dicitur subsequens, & pertinet ad corroboracionem ventriculi à vomitione fessi. Primum autem tale est.

℞. Seminum herbæ Paris. Drac. meza.

Decoctionis Boraginis, quantum sufficit; Misce, & fiat potio. mane capienda, iteratis vicibus ex dispositione Exorcistæ. Secundum est quod sequitur.

℞. Iuris. Lib. i.

Oximelis simpl. Vnc. iij.

Aceti, parum.

Misce, & fiat potio pro Vomitorio. Quo stante animadvertendum est, quod si contingeret præcens Vomitorium, secundum intentionem non operari, subministretur sequens, cum sit efficacioris naturæ.

℞. Succu Raphani. Vnc. iij.

Olei communis. Vnc. j.

Misce, & fiat Vomitorium. Tertium verò medicamentum immediatè subnectitur, & est duplex; quorum primum est hujusmodi.

℞. Ptisanæ Ordeacæ; vulgo Orzata dictæ, quantum sufficit, & patienti detur, tum propter ventriculum corroborandum, tum propter detersionem ejus à reliquis infectionis ex commotione vomitionis exorta.

Secundum autem tale est.

C

Folio.

*Medica-  
mentum  
contra ma-  
leficia.*

*Medica-  
mentum  
ad malefi-  
cii mate-  
riaia vo-  
menda.*

*Medica-  
mentum  
ventriculi  
corroboran-  
tium.*

	Foliorum	} Boraginis. } Rorismarini.
℞. Confer.		

singulorum pro quacumque vice Drac. 1.

Medicamentorum autem, tum ex primo, tum ex secundo, tum ex tertio ordine, usus non erit, sine super ipsis benedictionis præmissione, quæ talis est.

Exorcismus sumendorum medicaminum.

*Exorcis-  
mus omni-  
um sumen-  
dorum me-  
dicami-  
num. cõtra  
maleficia.*

Exorcizo te medicæ compositionis materia per Dominum Deum creatorem virtutis tuæ, qui per Sanctum Angelum suum, Tobiaæ servo suo Piscem exenterare præcipit, & cor ejus, & fel, & jecur recondi, cum essent necessaria ad medicamenta utiliter, ut virtutem tuam naturalem retineas, & super naturalem recipias, ad omnem virtutem Diabolicæ fraudis, & impetus coercedos; non nostris poscentibus meritis, sed ejusdem Dei virtuti occurrente, & passione Filii ejus intercedente, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem, Amen.

*Oratio.*

Deus à quo de cœlo est omnis expectanda medela, sicut de terra est omnis creatio medicinæ, qui in plenitudine temporum magnum de cœlo misisti medicum, quia magnum in terra infirmum jacere noveras; multiplica super nos misericordiam tuam, & benedicere, † & sanctificare † digneris hoc genus medicinæ compositum, ut quicumque ex eo sumpserit, liberetur à vexatione Diaboli, ex maleficio præcipuè illata, & ita illius ænus efficaciter dissolvatur, ut affuisse Dominum nostrum Iesum Christum agnoscentes gaudeamus, qui tecum vivit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum Amen.

Sic itaq; pie, sicut diligenter, his ad gustum pertinentibus præparatis, studeat Exorcista Diabolo, ac ejus maleficis infestationibus contraire. De



*De Audibilibus usu in ejectione Diaboli, habendo: ac de ipsorum ordine, in sequenti opere. Cap. XIX.*

**A**udibilia magnopere ad expulsionem Diaboli de corporibus obsessis conferre, & sacri canones, & canonica testantur scriptura. Quis enim unquam significationem saltem, nominis Exorcistæ cognovit, pertinaci negat propositum voluntate? Hæc namque vox Exorcista ex græca in latinam transpositionem, idem significat, quod adjurans, sive increpans, Ut dicitur C. Cleros, circa fin. 21. Distin. Increpatio autem nonne ad auditum refertur? Didicimus hoc idem ex libror. 1. Reg. cap. 16. Cum spirituum Domini malum, à Saul Rege recessisse cognovissemus, harmonico sono Citharæ, à Davide miro psallendi artificio percussæ. De audibilibus propterea in præsentis propositionem faciens, duo propono genera: Primum ad sonum pertinet: secundum ad vocem. Quod ad sonum pertinet, duplex, pro nunc, est: Primum est Campanella, cujus sonus excitabitur in concitationibus, & citationibus, ac figendis terminis: secundum sunt Organa, quorum pulsatio in usum accedat in cantu Psalmorum alternatis vicibus more Choristarum, & quotiescunque mens obsessi refocillanda erit, & Diabolus feriendus. Secundum autem, quod ad vocem pertinet, sunt Exorcismi; & quæcunque in exorcizando, sive sunt dicenda, sive sunt legenda. Hæc autem omnia in hoc sequenti opere meo, sunt sub triplici serie redacta. Quæ sunt in prima, Præexorcizationes dicuntur; sicut quæ in secunda, Exorcizationes; Atque quæ in tertia, Postexorcizationes. Præexorcizationes autem quinque sunt: Prima quarum generalis est confessio Exorcistæ; Secunda generalis est confessio Dæmoniaci, & ejus absolutio; Tertia est invocatio Deo persolvenda; Quarta est protestatio Dæmonib. parefacienda; Quinta est concitatio malignorū

*Diabolus  
audibili-  
bus fuga-  
tur.*

*Nomen Ex-  
orcista,  
quid signifi-  
cet.*

*Campan-  
nella usus,  
& Organo-  
rum quan-  
do sit ha-  
bendus.*

spiritum in personam obsessam existentium; Sexta est juramentum Dæmoni præbendum; Et septima est ordo, occurrentia à Dæmonibus petendi. Exorcizationes verò sunt novem; Prima quarum est ex sanctis Dei nominibus; Secunda ex omnium Sanctorum ordine; Tertia est ex præcipuis animadversione dignis sanctorum Angelorum; Quarta est ex actibus vitæ gloriosæ virginis Mariæ; Quinta est ex gestis Domini nostri Iesu Christi; Sexta est ex institutis Ven. Sacramentorum; Septima est ex præcipuis Sanctæ Ecclesiæ Dogmatibus; Octava est ex mysteriis Sanctissimæ Trinitatis, & unitatis Dei; & Nona est ex libro Apocalypsis beati Iohannis Apostoli. Postexorcizationes autem reducuntur ad duo: Quorum primum respicit aliquantulum Dæmoniaci internam corporalem invasionem; Et secundum pertinet ad hominum sensibilem externam vexationem. Sub primo sunt quinque Postexorcizationes: Prima est Præceptum faciendum egressis spiritibus; Secunda est præceptum faciendum spiritibus malis in corpore remanentibus; Tertia est maledictio contra nimis obstinatos Dæmones; Quarta est gratiarum actio pro persona liberata; Et quinta est benedictio personæ ejusdem. Sub secundo verò Postexorcizationes sunt tres: Prima est modus liberationis à Dæmonibus Incubis, & Succubis; Secunda est ordo liberandi Domum à Dæmonibus perturbatam; Et tertia est ad repulsionem pertinens tempestatis à Dæmonibus excitatæ. Honestantur autem hæc omnia, debitaque efficacia redduntur insignia ab utriusque Testamenti lectione, aptissimè suis locis disposita; ita ut videatur gratia loci illius in fonte sacre Bibliæ edita. Et sic finis totius hujus operis habetur.

Reliquum fortè esset, ut consimilia alia hoc censerentur Præfationis loco, ad ulteriorem Exorcistæ instructionem, nisi inter multos respectus, ratio quoque impediret brevitas. Itaque quæ hucusque de pertinentibus ad Exorcistam sunt enarrata sufficiant; nolo enim in præfatione multis opinionibus, tacitis fortè, & objectio-



objectionibus, in hanc meam editionem emissis, respondere, sed tantum hoc unum infero; quod scilicet nemo (quæso) seipsum ac mea è lectione, pravis animi sollicitudinibus conturbet: non enim hoc meum opus est ad tormentum hominum, sed Diaboli elaboratum; Sed aliud (gaudentes) alterius rationis, expectent. Oratos insuper optarem optimos quosque Exorcistas, ne dedignarentur, possessione hunc meum commendare laborem, ad Dei gloriam, adque à Dæmone vexatorum, animæ & corporis salutem contextum; ut in verbis istis, Dei virtutem, ejus assistente gratia, probarent; commoditatemque Practicæ hujus officii periculum facerent. Itaq; jam seipsos muniant, & his armis, inexpugnabiles reddant: Muniant inquam, non enim est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, inquit Sanctus Paulus Apostol. Sed adversus principes & potestates, & rectores mundi hujus tenebrarum harum. Eja agite accingimini, estote fortes in bello, & pugnite cum antiquo serpente, ut accipiatis regnum æternum, in quo perpetuè gaudeatis,  
cum Deo Patre, & Filio, & Spiritu

Sancto,

In secula seculorum.

FINIT P R Æ F A T I O.

C 3

PRA-

# PRÆACTICÆ EXORCISTARUM.

F. VALERII POLIDORI PATAVI-  
ni, Ord. min. Conventualium; Artium, &  
Sacræ Theologiæ Doctoris; Ad Dæmones,  
& Maleficia de Christi fidelibus pellendum,  
Præexorcizationes incipiunt.

## PRÆEXORCIZATIO PRIMA,

Quæ generalis est Confessio Exorcistæ.

### RUBRICA.

¶ *Dæmoniacopresente genuflexè  
dicat Exorcista.*

*Confiteor  
tibi Pater  
&c. Matt.  
II. Decla-  
ratiuè per-  
curritur.*



CONFITEOR tibi Pater domine cæ-  
li, & terræ; Confiteor laudando nomen  
tuum, à solis ortu usq; ad occasum lau-  
dabile; & accusando me, quotidie volū-  
tariè peccantem; Confiteor tibi, quia  
tibi soli peccavi, & malum coram te fe-  
ci; Pater misericordiarum, & Deus totius consolatio-  
nis; Domine dominantium; cæli creator; Et terræ firma-  
tor; Rex regum, Sancte Sanctorum, Deus Deorum; Pa-  
ter æterne, Fili coæterne, & Spiritus Sancte sempiternus;  
Adesto itaque mihi benignè præoccupanti faciem tu-  
am in confessione, & miserere mei secundum magnam  
misericordiam tuam.

*Ordo con-  
fessionis  
generalis.*

Te do-



Te domine offendi cogitatione, delectatione, omissione, commissione, verbo, & opere. Feci contra decem tuæ sanctæ legis mandata Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Justitiam non dilexi. Vivam Fidem, firmam Spem, nec manentem Charitatem servavi Injuste egi Superbia, Ira, Invidia, Accidia, Gula, & Luxuria, Erraviq; tandem Visu, Auditu, Gustu, Odoratu, & Tactu; Sed tu qui dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, ne avertas faciem tuam à singultu meo, & clamoribus; ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me, sed miserere mei secundum magnam misericordiam tuã. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Magnam misericordiam tuam requiro, quia magna est miseria mea, infinitum comisi peccatum, infinitam majestatem infinitæ bonitatis offendens: Bonus es tu, sed non dilexi bonitatem tuã in toto corde meo, nec ex tota anima mea, nec ex tota fortitudine mea; Sed ideo à te veniam peto, quia bonus es; & à te solo infinito, quia infinitam potes es dimittere culpam: Audi ergo vocem deprecationis meæ de profundis clamantis ad te, & super me misericordiam tuam multiplica; non enim solum te non amavi, sed nec proximum dilexi, in quem non tantum usque septies peccavi, sed usque septuagies septies. Tu tamen non hujusmodi peccata mea respicias, sed constitue me, sicut acerrimum, ita dignum ministrum tuum ad omnes Diabolicas machinationes vertendas; Et quia potius parcere eligis, quam irasci, Miserere mei secundam magnam misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ad iniquitatem meam, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, Ecce enim veritatem dilexisti: Incerta,

*Psal. 50.*

& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Asperges me domine hyssopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiâ, & exultabunt ossa humiliata, Averte faciam tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiâ salutaris tui & spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea justitiâ tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicias. Benigne fac domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos, Gloria Patri &c.

PRÆ.



# PRÆEXORCIZATIO SECUNDA.

Quæ Dæmoniâci, & astantium est  
confessio.

*¶ Surgens Exorcista ab orationis Confessione, si de fide vult, siue oratione habenda, aut de natura Dæmonis, presentibus verba facere, compleat hoc pium animi propositum, in nomine domini: sin autem, librum præbeat alicui adiutori, qui nomine præsertim Dæmoniâci, & assistentium omnium, genus flexis omnibus, generalem sequentem confessionem faciat.*

**C**onfiteor omnipotenti Patri, Filio, & Spiritui sancto, Deo trino & uno, Immaculatæ Mariæ semper Virgini, Sancto Michaeli Archangelo, Beato Abraham Patriarchæ, David Prophetæ, Petro Apostolo, Mattheo Evangelistæ, Ioâni Baptistæ, Innocenti, Stephano Protomartyri, Silvestro Pontifici, Francisco Confessori, Ambrosio Doctore, Ægidio Abbati, Paulo primo Eremitæ, Crispo Presbytero, Laurentio Levitæ, Beatæ Catharinæ Virgini, Monicæ, Viduæ, omnibus sanctis, & tibi Pater, me graviter mea culpa peccasse in Deum, in me, & in proximum; spiritualiter, carnaliter, mortaliter, venialiter, corde, ore, opere, & omissione, quorum me nunc omnium peccatorum pœnitet. Ideo abrenuncio, abrenuncio Diabolo, & operibus ejus; dimitto omnibus qui in me peccaverunt, ut meus cœlestis dimittat mihi peccata mea; & deo præcor beatâ Mariam semper Virginem, omnes sanctos beatorum spirituum ordines, sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Innocentes, Martyres, Episcopos, Confessores, Doctores, Monachos, Eremitas, Sacerdotes, Levitas, Sanctas Virgines, & Viduas, omnesque si-

C s mul

mul Sanctos, & te Pater orare pro me ad dominum Deum nostrum, ut tectis omnibus peccatis meis, liberet me ab hoste maligno, & perducatur in vitam æternam.

*¶ Tunc Sacerdos Exorcista, manum per modum impositionis extendens, dicat super Demoniacum, & Adstantes sequentem Absolutionem.*

*Absolutio  
Dæmoniaci,  
& adstantium.*

Omnipotens sempiternus Deus, qui per filiū suum dominum nostrum Iesum Christum dixit sanctis Apostolis suis; Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, ipse dignetur vobis dimittere, omnia peccata vestra, quæ fecistis in ipsum, in vobis ipsis, & in proximum; sive spiritualia, aut venialia, aut mortalia, vel consummata corde, ore, opere, & omissione; Defendat vos Dominus ab omnibus malis; ac liberet ab omni infestatione Sathanicæ malignitatis, det vobis spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, qui conservet vos in omni opere bono, & perducatur in vitam æternam. Amen.

*¶ Manu ab extensione resumpta, injungat Exorcista illi, qui nomine omnium confessionem fecerat, ut intelligibili voce, sequentem dicat Psalmum.*

*Psal. 66.*

Deus Misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus, Confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, denedicat nos Deus; & meruant cum omnes fines terræ. Gloria Patri, & Filio &c.

*¶ Finito*



*¶ Finito Psalmo, dicat Exorcista.*

Visita quæsumus domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum dominum nostrum. Amen.

## PRÆEXORCIZATIO TERTIA,

Quæ est divini auxilii postulatio.

*¶ Erecto cereolo benedicto accenso super candelabro, Exorcista stando, sequentem lectionem compleat, absolutè incipiendo.*

**D**omine Domine Rex omnipotens, in ditione e- Hes. 13.  
 n m tua cuncta sunt posita, & non est qui possit  
 tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.  
 Tu fecisti Cælum, & terram, & quicquid cœli ambitu  
 continetur, dominus omnium es, nec est qui resistat  
 majestati tuæ. Cuncta nosti, & scis quia non pro su-  
 perbia & contumelia & aliqua gloriæ cupiditate fece-  
 rim hoc, ut non adorarem Amān superbissimum. Li-  
 benter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum  
 ejus deosculari paratus essem, sed timui, ne honorem  
 Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam  
 excepto Deo meo adorarem, Et nunc Domine Rex  
 Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos  
 inimici nostri perdere & hæreditatem tuam delere.  
 Ne despicias partem tuam, quam redemisti de Ægy-  
 pro. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto  
 sorti & funiculo tuo, & converte luctum nostrum in  
 gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum domine,  
 & ne claudas ora te canentium.

*¶ Et statim Deo Invocationem persolvat se-  
 quentem.*

Da domine Deus gloriā nomini sancto tuo, precesq;  
 mei

*Invocatio  
diſcni au-  
miliſi contra  
Damon.*

mei miniſtri tui indigni, placatus admitte, ut gratiam potentia tuæ efficaciter merear poſſidere; tunc enim ſic dextera tua munitus, irruam in hos tuos rebelles hominumque inimicos Dæmones, qui vineam iſtam tuam diſſipare contendunt, & facturam tuam vexare præſumunt, quod confuſi fugient impii, & diſſolventur tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ; non enim habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos. Accingere ergo gladio tuo ſuper femur tuum potentiffime. In adjutorium meum intende, ad adjuvandum me feſtina, apprehende arma & ſcutum & exurge in adjutorium mihi: Exurge domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum, ut hæc creatura tua ſub umbra alarum protecta à facie impiorum, qui eam affligunt; proſtratus poſtquam fuerit Diabolus, omneſq; ſatellites ejus omne maleficium, omnis fallacia, omnis incurſio, omne nocivum fantaſma, & omnis illuſio, & reddita ſibi ſanitate, gratiarum actiones tibi in Eccleſia tua referamus, Quod nobis concedere digneris per temetipſum, qui reſidens in folio majeſtatis tuæ, in conſilio immutabilis permanendo, opera muras, & vivis, & regnas ſemper. Amen.

#### PRÆEXORCIZATIO QUARTA

Quæ eſt proteſtatio Dæmonibus patefacienda.

*g Manu ſuper caput Dæmoniacci poſita, dum ſtat, dicat Exorcista.*

**E** Go miniſter & ſervus Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, autoritate qua fungor, exorcizo vos, Patres mendacii, per Patrem ingenitum; mando vobis, Filii perditionis, per Filium bis inenarrabiliter genitum, & conſtringo vos, ſpiritus maledicti, per Spiritum Sanctum non genitum, ſed procedentem, cujuſcunq;



fuscunq;ue gradus, conditionis, & prælaturæ existatis, qui hanc creaturam Dei temerè invadere præsumpsistis, in quibuscunq;ue partibus hujus corporis habitantes sitis, & subterfugientes latiteris, in essentialibus scilicet sive substantialibus, sive accidentalibus; majoribus, sive minoribus; exterioribus, sive interioribus; superioribus, sive inferioribus; anterioribus, sive posterioribus; lateralibus, superfluis, & coadhærentibus; ut illicò, nulla interposita morula, trementes, paratî sitis, sine læsione hujus creaturæ sacro baptîsmate regeneratæ, confugere ad partem, in quam à me vocatî eritis; meque audire, ac audientes percipere, & percipientes obedire. Et ne aliqua vobis in die judicîi, ante tremendum tribunal Iesu Christi, in his remaneat excusatio, invocando cœlum & terram in testimonium, & omnia, quæ in eis sunt, si forsitan maleficio aliquo, aut incantatione, innodatione, detentione, ligatione, interdictione, arte, vel factura, vestrorum majorum, aut vestri, vel malorum hominum sive mulierum, quovis modo facta, vel quomodocunq;ue nuncupata, detinemini; omnia illa debilito, solvo, irritas facio, annullo, destruo, ac pro nihilo haberi, autoritate prædicta, decerno. Vobis insuper sic autoritate divina solutis iterum efficaci voluntate præcipio, quatenus nullum auxilium, sive favorem audeatis accipere, quacumque de causa, & sub quo vultis prætextu, à malignis spiritibus extra corpus hoc commorantibus, callide à vobis requisitum, vel sponte ab illis vobis impensum: Quibus ideo etiam omnibus malignis spiritibus extra corpus hoc existentibus, cujuscunq;ue ordinis, dignitatis, & prælationis censeantur, districtè præcipio; ut hinc abire festinent, & de facto recedant, per virtutem Domini nostri Iesu Christi; nec ullum vobis auxilium quamvis minimum, quomodocumque, & qualitercumque excogitatum, audeant damandare.

*Spiritibus  
in corpore  
existentibus  
ne recipiant, &  
extra ne  
prebeant  
auxilium  
præcipitur.*

*¶ Hic exorcista erigat crucem : & clara voce dicat.*

Ecce crucem Domini ; fugite partes adversæ.

*¶ Secundo crucem altius , cum voce ducendo dicat.*

Ecce signum crucis, in quo salus nostra pependit; fugite partes adversæ.

*¶ Tertio iterum altius crucem, & vocem elevando dicat.*

Ecce lignum Crucis, in quo salus nostra pependit. ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur; fugite partes adversæ.

*¶ Deinde dicat Psalmum sequentem.*

*Psal. 82.*

Deus quis similis erit tibi? Ne taceas, neq; compefearis. Deus, Quoniam ecce inimici tui sonuerunt; & qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt, venite, & dispergamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultra. Quoniam cogitaverunt unanimiter; simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum, & Ismahelitzæ. Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec; Alienigenæ, cum habitantibus Tyrum: Etenim Assur venit cum illis; facti sunt in adjutoriū filiis Loth. Fac illis sicut Madiam, & Sifaræ, & sicut Jabin in torrente Cisson. Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ. Pone principes eorum, sicut Oreb, & Zeb, & Zeha, & Salmuna. omnes principes eorum qui dixerunt; hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos, ut rotam; & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit sylvas, & sicut flamma comburens montes. Ita persequeris illos in tempestate tua, & ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Erubescant & turbentur.



turbentur in sæculum sæculi; & confundantur & pereant. Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus; tu solus altissimus in omni terra. Gloria Patri, & Filio &c.

¶ *Psalmo finito, locum, benedicta aqua, conspergat, dum dicit.*

Exaudi nos domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus; & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, Visitet, atque defendat omnes, habitantes in hoc habitaculo. Per Christum dominum nostrum. Amen.

¶ *Mox revertatur ad Obsessum, & aliquas Reliquias sanctorum reliquias, huic usui concessas, à collo in sanctorum pectore ipsius pendere faciat, & mediâte subjungat.* Reliquia sanctorum sunt applicanda obsessis.

Nulli ergo omnino Dæmonum liceat hanc Protectionis Exorcizationem, Destructionem, & Inhibitionem contemnere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumperit in immersionem horribilis incendii ignis, & sulphuris infernalis gehennæ se noverit incursum.

## PRÆEXORCIZATIO QUINTA,

Quæ est Dæmonum concitatio.

¶ *Ut ascendant Dæmones ad linguam, sive Concitatio (mutatis mutandis) ad aliam corporis partem; in lingua, aut etiam descendant, præmissa campanellæ sono, Exorcista prosequatur.*

**I**N nomine igitur Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti; † Dei ultionum; fortis & potentis in prælio; facientis iudicium & justitiam, & superbis retributionem reddentis: Ego minister Dei vivi & veri, autoritate qua fungor, exorcizo vos spiritus immundos, & virtute munitus divina

divina districtè exorcizando vos concito, ut nullam moram protrahentes, & omnem aliam occasionem deponentes, realiter, personaliter, in extrema superiori parte linguae hujus creatura Dei, ante tribunal domini nostri Iesu Christi, triumphatoris temeritatis vestrae, illum tenebrarum principem, qui in vobis primam sedem obtinet, comparere cogatis; Cui etiam atque etiam districtius, auctoritate praedicta praecipio, ut ibi, modo praedicto compareat, sine animae, vel istius corporis laesione, ut ibi det gloriam creatori suo, & mihi obediat vices suas in hac parte gerenti. Estote igitur vos obedientes & ille statim ascendens, Deum metuat, qui omnia quaecumque voluit fecit; Qui dixit, & facta sunt; & cui omnes obediunt creaturae. Audi itaque maledictè princeps tenebrarum, & tortuose Coluber; audi altissimi mandatum, quod, ne me dum peccatorem cognoscis, contempnas assigno tibi terminos ad comparandum. In quorum primo Psalmum Propheticum; In secundo Lektionem Propheticam; & in tertio Lektionem Evangelicam recensabo; Quibus elapsis, si contumax fuerit tuae rebellionis obstinatio, in interminatae maledictionis excommunicationem incurras, & deinceps corpus hoc sit tibi in novum infernum, omniaque verba mea carbones ignis ardentis, & ictus oculorum nostrorum sagittae volantes, Missusque tandem sis in majori cruciatu quam alter Daemon crucietur. Sed ad primum jam terminum exsolvendum, cum Sancto Propheta descendo dicendo.

*Termini  
assignantur  
malis  
spiritibus  
ad comparandum.*

*Habac. 3.*

Domine audiavi auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum; In medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies; cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Deus ab austro veniet, & sanctus de Monte Pharan: Operuit Coelos gloria ejus; & laudis ejus plena est terra. Splendor ejus, ut lux erit; cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus; ante faciem ejus ibit mors. Egredietur Diabolus ante pedes ejus; stetit, & mensus est terram: Aspexit, & dissolvit gentes; & contriti sunt montes saeculi. Incurvati sunt

ti sunt colles mundi; ab itineribus æternitatis ejus. Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian. Nunquid in fluminibus iratus es Domine; aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua; Qui ascendis super equos tuos; & quadrigæ tuæ salvatio. Suscitans suscitabis arcum tuum; jura-menta tribubus quæ locutus es. Fluvios scindens terræ viderunt te, & doluerunt montes; gurges aquarum transit. Dedit abyssus vocem suam; altitudo manus suas levavit. Sol, & Luna, steterunt in habitaculo suo; in luce sagittarum tuarum, ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. In fremitu conculcabis terram; & in furore obstupescies gentes, Egressus es in salutē populi tui; in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impii; denudasti fundamentum ejus usque ad collum. Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus; veni enim ut turbo ad dispergendum me; Exultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. Viam fecisti in mari equis tuis; in luto aquarum multarum. Audivi, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Ingredietur putredo in ossibus meis; & super me scateat. Ut requiescam in die tribulationis; & ascendam in populum accinctum nostrum. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliivæ; & arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus; & non erit armētum in præsepibus. Ego autem in domino gaudebo; & exultabo in Deo Iesu meo. Deus dominus fortitudo mea; & ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor, in psalmis canentem. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; Sicut erat &c.

Durum est, tibi Deo velle resistere; durum est, tibi contra stimulum calcitrare. Recede igitur maligne spiritus, de omni latibulo corporis hujus, & veni in tibi deputatum manifestationis locum; quoniam Christus vincit, † Christus regnat, † Christus imperat, † cum enim secundus incēperit terminas citò transibit. Audi



Lectionem Prophetica[m] pro eo deputatam,

*Naum, 1.*

Quid cogitatis contra Dominum; Consumationem ipse faciet. Non conserget duplex tribulatio, quia sicut spinæ seinvicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium. Consumuntur quasi stipula ariditate plena. Ex te enim exibat cogitans contra dominum maliciam, sumente pertractans prævaricationem. Hæc dicit dominus. Si perfecti fuerint, & ita plures, sic quoque attondentur, & pertransibit. Affixi te, & non affligam te ultra. Et nunc conteram virgam ejus de torso tuo, & vincula tua dirumpam; & præcipiet super te dominus. Non seminabitur ex nomine tuo ampli<sup>9</sup>. De domo Dei tui interficiam. Sculptile & conflatile ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus est. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem. Celebra Iuda festivitates tuas, & redde vota tua quia non adjiciet ultra, ut pertransseat in te Belial, universus interiit.

*Psal. 138.*

Quo etiam subterfugis? Quo? Superba bestia? Audi, & intellige, tu qui spernis Deum; prophetica[m] scilicet vocem, dicentem. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam; Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitiis meis: Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Pavor igitur apprehendat te, & de contumacia tua rebellionem jam time, tertio signo tibi in linguam ad comparendum statuto, succedente Evangelicæ. S. Lectionis immediatè sequentis.

*Mar. 5.*

Exeunti Iesu de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare, quia sæpe compedibus & catenis victus, dirupisset catenas, & compedes comminisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in

etcia

Et in monumentis, & in montibus erat clamans, & concidens se lapidibus. Videns autem Iesum à longe, cucurrit & adoravit eum. Et clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, Jesu filii Dei altissimi; Adju- ro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi. Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum; Quod tibi nomen est? Et Dicit ei; Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. Et deprecabantur eum spiritus dicentes: Mitte nos in porcos; ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos. Et magno impetu grex præcipitatus est in mare, ad duo millia, & suffocati sunt in mari.

PRÆEXORCIZATIO SEXTA.

Quæ usus stolæ est, & juramentum Dæ-  
moni dandum.

*¶ Si non ascenderit vocatus spiritus, Exor-  
cista ipsum arguat, & increpet in omni patientia,  
& doctrina, quousq; tandem ascendat: sed si ad-  
huc negligat ascendere, non erit ab Exorcizatio-  
nibus desistendum, usq; stolæ præmissa, ut hic con-  
tinuè subnectitur. Si autem ascenderit, stando,  
lectionem parans, dicat lectionem sequentem.*

*Si non a-  
scenderit  
vocatus  
spiritus  
quid sit a-  
gendum.*

Lectio Lib. Apocalyp. beati Ioan. Apostoli.

**V**idi Angelum descendentem de cælo, habentem  
clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.  
Et apprehendit Draconem, serpentem antiquum,  
qui est Diabolus & Saranas, & ligavit eum per annos  
mille. Et misit eum in abyssum & clausit, & signavit su-  
per illum, ut non seducat amplius gentes, donec con-  
sumentur mille anni,

*Apoc. 20.*

*Stola usus  
quomodo  
fit haben-  
dus.*

¶ *Qua lectione finita, collocet Exorcista stola[m] apertam super humero sinistro Obsessi, æqualiter ante & retro pendentem, & liget ipsam sub eisdem dextro, dum dicit.*

Sicut sanctus Dei Angelus virtute Dei, serpentem antiquum, catena magna ligavit, & super ipsum signavit; ita ego auctoritate ipsius, te ligo, creatura reprobata, stola hac sacra, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & signo signaculo Sanctæ Crucis, † ut posternaste, cum omnibus satellitibus tuis, & obedias Deo, & mihi ministro ejus.

¶ *Tunc, stando à sinistris personæ obsesse, parans juramentum Dæmoni dandum, dicat lectionem sequentem.*

Lectio Zachariæ Prophetæ.

*Zac. 3.*

Ostendit mihi dominus Iesum Sacerdotem magnū, stantem coram Angelo domini, & Sathan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei, Et dixit dominus ad Sathan; Increpet dominus in te, qui elegit Hierusalem.

¶ *Inderecedens, existens ante faciem personæ obsesse, dicat.*

*Luc. 9.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia Dæmonia, & ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

¶ *Tunc sedeat Exorcista, & exceptis junctis manibus personæ obsesse, infra manus suas: sive dextera manu personæ obsesse, posita super manum suam: aut super altare: Juramentum hoc loquenti Dæmoni præbeat, ad veritatem dicendam, & obedientiam præstandam inducens.*

*Quando  
vis dare  
juramen-  
tum.*

Cujuscumque captiosæ deceptionis tacita stipulatione prætermittā; Ego tibi ministro Christo libere promitto, & promissionem efficaci juramento confirmo.



me posthac sponte occurrente, sive interrogante, semper vera dicere, & veraciter respondere: nec non Deo, & tibi, ex officio mihi præcipienti, in omnibus obedire. *Forma iuramenti Damoni dandi.*  
 Quod si contempsero, ultorem gladium iræ furoris iusti iudicii altissimi contra me invoco irritativè provocando; ut mittat in me hodie principem militiæ exercitus sui, Sanctum Michaelem Archangelum, qui tradat me in manibus inimicorum meorum: & trudat in stagnum ignis & sulphuris. ubi & Bestia, & Pseudo prophetæ cruciabuntur die ac nocte, in secula seculorum. Amen.

¶ *Subjungat Exorcista immediatè, sicut qui recipit iuramentum, ipsum quasi confirmando, & dicat.*

Fiat. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Amèn: Et hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.

### PRÆEXORCIZATIO SEPTIMA.

Quæ modus Dæmones interrogandi est.

¶ *Sexta transacta Præexorcizatione, Exorcista dicat Diabolus ut se paret ad duo, scilicet ad verum dicendum, & à corpore discedendum, dñ per legit sacras lectiones sequentes: & stando, facie ad altare conversa, dicat.*

Lectio libri Tobia.

**I**nterrogavit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare iussisti? Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extirpat omne genus Dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et fel valet ad unguendum oculos, in quibus fuerit albugo & sanabuntur. Et dixit ei Tobias: Ubi vis ut manducemus? Respondensq; Angelus ait: Est hic Raguel nomine vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum,

neque feminam ullam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis substantia ejus & oportet eam te accipere conjugem. Pete ergo eam à patre ejus, & dabit tibi eam in uxorem. Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio, Quia tradita est septem viris, & mortui sunt, sed & hoc audivi, quia Dæmonium occidit illos, timeo ergo ne fortè & mihi hæc eveniant, & cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & ostendam tibi, qui sunt quibus prævalere potest Dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt ut Deum à se, & suam mentem excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. Ipsa autem nocte, incenso jecore piscis, fugabitur Dæmonium.

*¶ Convertat se Exorcista ad personam obsessam, & dicat.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

*L. 11. c. 8.*

Cum de navi Iesus egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat Dæmonium jam temporibus multis, & vestimentum non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is ut vidit Iesum, procidit ante illum, & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est Iesu, fili Dei altissimi? Obsecro, ne me torqueas. Præcipiebat enim Spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserta. Interrogavit autem illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: legio, quia intraverunt Dæmonia multa in eum. Et rogaverant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent,

*¶ Sedent*

*G* Sedeat Exorcista, & ordine sequenti petitiones faciat.

Exorcizo te nequam spiritus; qui pro veritate sponte *Forma pe-*  
dicenda, aut interrogatus non abscondenda, juramen- *tendi ali-*  
to professus es; ut mihi respondeas, & de quibuscum- *quid à Da-*  
que te interrogavero, veritatem sine fraude dicas. Re- *mono.*  
sponde itaque, Quod nomen tibi est? &c.

*G* Hic petat Exorcista quicquid vult, ex illis, *quæ docentur in Præfatione, Cap. 10. & si intentum non adipiscitur, continuationem faciens subjungat.*

Exorcizo te ut respondendo veritatem dicas, per *Gratia Dei*  
summum creatorem, fontem omnis-boni, omni bono *unde, quo-*  
boni; & suæ bonitatis creaturis multiformiter commu- *tiple. &*  
nicativum. *quid sit.*

Per bonum ab efficaci voluntate altissimi proveniens, quod gratia ejus dicitur.

Per ejus gratiam generalem, qua omnia sunt, & ad naturalem proprium finem ordinata consistunt: Cujus *P. Cor. 13.*  
dicebat Divus Paulus; Gratia Dei sum id quod sum.

Per ejus gratiam specialem, qua rationalis ad supernaturalem proprium finem ordinatur. Cujus dicebat *Eph. 1.*  
Apostolus; Prædestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gratiæ suæ.

Per ejus gratiam specialem, gratis datam; donum supernaturale, rationali creaturæ collatum, sine meritis, disponens ad salutem propriam, vel alterius. Cujus dicebat *1. Cor. 13.*  
Vas electionis: Si habuero prophetiam, & novero mysteria omnia &c.

Per gratiam gratis datam sermonis sapientiæ, per divinum spiritum; Sermonis scientiæ, secundum eundem spiritum; Fidei, in eodem spiritu; Gratia sanitatum, in uno spiritu; Operationis virtutum; Prophetiæ; Discretionis spirituum; Generum linguarum, Et interpretationis sermonum. Quæ omnia (dicebat Prædi-



1. Cor. 12.

cator gentium) operator unus atque idem spiritus, diversis singulis prout vult.

1. Cor. 7.

Per gratiam gratum facientem; donum supernaturale rationali creaturæ datum, ipsam ad salutem habilitans, & templum Spiritus sancti faciens: Unde dicebat spiritus sancti lingua; Nescitis quod templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?

1. Cor. 10.

Per gratiam inchoatam, quæ augeri, & amitti potest: Unde dicebat suæ gratiæ conscius; Si quis existimat se stare, videat ne cadat.

Per gratiam consummatam, quæ augeri, & amitti non potest: Unde dicebat tuba illa Dei; Gratia Dei vitæ æterna.

Rom. 6.

Gratia Dei  
in nobis recepta ordo,  
nominis  
diversitas,  
& effectus.

Per gratiam prævenientem; qua avertimur à malo: Per gratiam operantem, qua secundum interiorem hominem convertimur ad bonum: Per gratiam cooperantem, incipimus exterius operari bonum: Per gratiam concomitantem, qua in bono incepto perseveramus. Per gratiam subsequenter, qua perseverantiam ad merendum, ulterius protrahimur: vel usque ad recidivationem, vel ad mortem.

Per necessitatem gratiæ Dei, quam habet homo in peccato, ut declinet à malo; & post peccatum, ut perseveret in bono.

Perq; tandem gratiam, quam habuerunt omnes sancti, in præsentī seculo; & per gloriara quam habent in alio; in quo Deo fruente, gaudent in Secula Seculorum.

FINIS PRÆEXORC.

PRA-

# PRACTICÆ EXORCISTARUM

F. VALERII POLIDORI PATA-  
vini, Ord. min, Conventualium; Artium, &  
Sacræ Theologiæ Doctoris; Ad Dæmones,  
& Maleficia de Christi fidelibus pellendum,  
Præexorcizationes incipiunt.

## EXORCIZATIO PRIMA,

Quæ ex Sanctis nominibus Dei est.

*¶ Signans se Exorcista signo crucis dicat.*



NExpugnabilem me redde domine *Introdu-*  
armatura tua, ut possim stare adversus *ctio exor-*  
insidias Diaboli, † *cizatio-*  
*num.*

*¶ Signans se signaculo crucis  
in fronte, dicat.*

Impone domine capiri meo galeam salutis ad expu-  
gnandum Diabolicos incurfus.

*¶ Signans se signaculo crucis, in pectore dicat.*

Indue me Loricam justitiæ, ad Sathanæ vertendam  
pressionem.

*¶ Signans se signaculo crucis, in ventre dicat.*

Succinge lumbos meos in veritate, ad conterendum  
autores falsitatis.

*¶ Faciens signum crucis, versus crura, vel  
pedes suos dicat.*

Calciâ pedes meos in præparatione Evangelii pacis,  
ad expellendum eos, qui bella volunt.

D 5

*¶ Faciens*

*¶ Faciens signum crucis versus brachium sinistrum suum dicat.*

Concede mihi domine firmæ scutum fidei, ad repellendum perfidos rebelles.

*¶ Et elevans aliquantulū brachium dextrū, conclusa manu, dicat.*

Et gladium tui Spiritus da mihi, ad habendam victoriam de tyranno. Amen.

*¶ Tunc stando coram altare, dicat Psalmum sequentem.*

*Psal. 23.*

Deus ultionem dominus: Deus ultionum liberè egit. Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem superbis. Usquequo peccatores domine: usquequo peccatores gloriabuntur. Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur in iustitiam; Populum tuum domine humiliaverunt, & hæreditatē tuam vexaverunt. Viduam, & advenam interfecerunt: & popillos occiderunt. Et dixerunt non videbit dominus: nec intelliget Deus Iacob. Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet? Qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vanæ sunt. Beatus homo, quē tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Ut mitiges ei à diebus malis; donec fodiat peccatori fovea.

Quia non repellet dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Quoad usque iustitia convertatur in iudicium: & qui iuxta illam, omnes, qui recto sunt corde. Quis confurget mihi adversus malignantes? Aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Nisi quia dominus adjuvit me? Paulominus habitasset in inferno anima mea. Si dicebam motus est per meus; misericordia tua domine adjuvabat me. Secundum multitudinē dolorū meorū in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam



meam. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis : qui fingis laborem in præcepto? Captabunt in animam justi : & sanguinem innocentem condemnabunt. Et factus est mihi dominus in refugium : & Deus meus in adiutorium spei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos; disperdet illos dominus Deus noster. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat &c.

*¶ Vertens se Exorcista versus personam obsessam, dicat sequentem lectionem.*

Lectio Isaïæ Prophetæ.

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane orie- *Isa. 14.*  
baris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In Cœlum ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Nunquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & urbes ejus destruxit, vinculis ejus non aperuit carcerem. Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, unusquisque in domo sua : tu autem projectus es in sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci. Quasi cadaver putridum non habebis consortium, neque cum eis in sepultura. Tu enim terram tuam disperdidisti, & populum tuum occidisti.

*¶ Manu posita super vertice capitis personæ obsessæ, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelij.*

Lectio Sancti Evangelij Secundum Marcum.

Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus, & exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse. *Mar. 16.*

rexisse, non crediderunt, & dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

*¶ Immediatè Exorcista flectens genua, cum omnibus assistantibus, dicat Litanias sequentes.*

## LITANIÆ.

**K**Yrie eleison. *R.* Kyrie eleison.  
 Deus, Deus, Deus. *R.* Adesto nobis.  
 Deus, Deus noster. *R.* Misereere ei.  
 Deus deorum. *R.* Disperdes illos.  
 Deus ineffabilis. *R.* Disperde illos.  
 Deus distans à non esse. *R.* Disperde illos.  
 Deus qui es quod es. *R.* Disperde illos.  
 Deus esse non habens post non esse. *R.* Di. il.  
 Deus non habens post esse non esse. *R.* Disp. il.  
 Deus qui es à seculo. *R.* Disp. illos.  
 Deus summa bonitas. *R.* Disp. illos.  
 Deus à quo sunt bona cuncta. *R.* Disp. illos.  
 Deus totius consolationis. *R.* Disp. illos.  
 Deus salvos faciendi. *R.* Disp. illos.  
 Deus salutarium nostrorum. *R.* Disp. illos.  
 Deus largitor veniæ. *R.* Disp. illos.  
 Deus dissimulans peccata. *R.* Disp. illos.  
 Deus poenitentia placabilis. *R.* Disp. illos.  
 Deus nos sanans castigando. *R.* Disp. illos.

*Dicta notabilia  
 multa de  
 Deo.*

Deus

Deus collapsa reparans. R. Disp. illos.  
 Deus reparata conservans. R. Disp. illos.  
 Deus sine quo nihil est validum. R. Disper. il.  
 Deus cujus cœlum sedes est. R. Disper illos.  
 Deus cujus vox super aquas. R. Disp. illos.  
 Deus cui servire est regnare. R. Dispe. illos.  
 Deus cui omne cor patet. R. Disp. illos.  
 Deus cui omnis voluntas loquitur. R. Disp. illos.  
 Deus quem nosce est vivere. R. Disp. illos.  
 Deus celsitudo humilium. R. Disp. illos.  
 Deus protector in te sperantium. R. Disp. il.  
 Deus vita viventium. R. Disp. illos.  
 Deus lumen animarum. R. Disp. illos.  
 Deus virtus incommutabilis. R. Disp. illos.  
 Deus pastor Fidelium. R. Disp. illos.  
 Deus patrum nostrorum. R. Disp. illos.  
 Deus custos omnium. R. disp. illos.  
 Deus mirabilis in sanctis. R. disp. illos.  
 Deus rerum tenax vigor. R. disp. illos.  
 Deus majestas in tonans. R. disperde illos.  
 Deus in timore statuens. R. disp. illos.  
 Deus exaltans in salute. R. disp. illos.  
 Deus qui judicas justitiam. R. disp. illos.  
 Deus turris fortitudinis. R. disp. illos.  
 Deus terribilis in consiliis. R. disp. illos.  
 Deus noster refugium. R. disp. illos.

*g Surgens Exorcista, stando, facie conversa  
 ad altare, Deum exoret, ut sequitur.*

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Exurge domine Deus, & exalretur manus tua.

Resp. Ne obliviscaris pauperum.

## ORATIO.

**P**ater noster qui prædestinasti nos in æternam glo-  
 riam tuam. Qui possedisti, fecisti, & creasti nos;  
 Quique



*Oratio dominicalis  
expositivè  
percurri-  
tur.*

Quique dedisti nobis spiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater, qui es in cælis per gloriam, in terris per gratiam, & in infernis per diversos effectus justitiæ: sanctificetur nomen tuum; & clarificare in omnibus gentibus sicut clarificatus es in nobis: Adveniat regnū tuum & converte nos, ostende faciem tuam & salvemur: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, & gressus nostros dirige secundum eloquium tuum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & divitias, & paupertates ne dederis nobis, sed tantum victui nostro tribue necessaria: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: respiceque in nos & miserere nostri, & dimitte universa delicta nostra: Et ne nos inducas in tentationem mundi, in quo pressuram habemus; carnis, quæ concupiscit adversus spiritum: Diaboli qui tanquam Leo rugiens nunc aperte irascitur nobiscum, sicut aliquando ut Draco saviens nimis occultè insidiatur: Tu es autem ipse rex noster, qui mandas salutes Jacob; in te inimicos nostros ventilabimur cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis; Atque te duce, conculcabitur Leonē & Draconem. Adesto itaque famulatus nostri precibus, & hoc plasma tuum ab inimicis manus tuæ, vexatum potenti virtute liberare dignare. Memor esto domine quomodo te aliquando in cælo ad æmulationem provocaverint, & in terra ad iracundiā concitaverint & superbia eorum, qui te oderunt, ascendat semper Ne itaque permittas illos obsessū nocere quantum velint huic creaturæ tuæ, & nobis molestos esse, sed libera nos à malo animæ, & corporis; nunc, & semper; & in secula seculorum. Amen.

*Sedeat hic Exorcista, & sequentia compleat.*

## EXORCISMUS.

*Sanctum  
& terribile  
nomen.*

**P**er Sanctum, & terribile mysterium sacrorum nominum divinæ optimæ maximæ majestatis; Sanctum inquam, & terribile; Sanctum creaturis bonis

bonis per misericordiam; terribile, creaturis malis, per justiciam; sanctum, Sanctis Angelis in cæli gloria; & terribile, vobis in tormentis inferni. Ego minister divinæ majestatis indignus: Exorcizo te. N. cruenta bestia cum omnibus satellitibus tuis: Et omnes alios malignos spiritus in corpore hujus creaturæ Dei existentes, ut discedere festinetis ex hoc plasmate Dei, lavacro baptismatis regenerato, & precioso sanguine domini nostri Iesu Christi redempto, realiter, personaliter, potestative, ac virtualiter, cum omnibus malitiis, & Maleficiis vestris, atque omni vexationum genere; & eatis ad loca vobis à Deo parata, vobisque congruentia, in quibus alicui creaturæ nequaquam nocere præsumatis.

*Pf. 110. in-  
troductorie  
declaratur.*

Exorcizo vos per incomprehensibile nomen Schemhamphoras †, quod puram significat, summè simplicem essentiam Dei, cum existendi realitate, infinitatis modificatione, & æternitatis ratione; Non excludens nihilominus, in unitate ejusdem Essentiæ, divinorum personarum pluralitatem, expositum; Quapropter vere dicitur: Ab, Elohim: Ben Elohim; Ruach accades Elohim; Haeloha echad velo scieloscia.

*Nomen Deū  
Schemham-  
phoras.*

Exorcizo vos per sanctum nomen Eloha †, cujus per ipsum significatæ Deitatis conceptus, talis est supereminentis excellentiæ, ut à nullo creato intellectu omnimodè comprehendi possit, sed ab infinito tantum.

*Eloha.*

Conjuro vos per nomen Ab †, à cujus significato supposito, tanquā à Patre fecundissimo, ad intra, Verbum generatur; Isaia Propheta dicente: Ego qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero? Ad extra autem universum, operatione à Filio, & Spiritu Sancto indivisa productum est: dicente Malachia: Nunquid non pater unus omnium nostrum? Nunquid non Deus unus creavit nos?

*Ab.*

*Isa. 66.*

*Mal. 2.*

Præcipio vobis per nomen Bar †, quo res divina signata accipit, à se producente, per memoriam fecundam, eandem numero naturā cum ipso, quando generatur in die æternitatis: Dicente Propheta; Filius meus

*Bar.*



*Esai. 2.**Isa. 52.**Veruach  
accodes.**Joan. 15.**Joan. 16.*

est tu, ego hodie genui te. Cujus admirans Isaias dicebat; Generationem ejus quis enarrabit.

Constringo vos per nomen Veruach accodes † cuius suppositum per modum voluntatis existens, ex Patre, Filioque procedit: domino dicente; Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: Et iterum; Ille de me accipiet, & annuntiabit vobis. Ut discedatis ab hac creatura Dei, cum omni comitatu, virtute, & maleficio, arte humana sive Diabolica excogitato.

*Iehova,  
& Te-  
tragram-  
maton.**Joan. 1.*

Præcipio vobis in nomine ineffabili Iehova †, sive Tetragrammaton scilicet Iod, He, Vau, He. Cujus significatione mysterii, & divinarum personarum trinitas, & divinæ essentiae unitas mirabiliter declaratur: In Iod, quod est; Caput, sive Principium; Patrem principium operationum ad intra intelligendo; & cum Filio, & Spiritu Sancto, ad extra. In He, quod est; Esse; Filium, quo sunt omnia; omnia enim per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil quod factum est. In Vau, quod est Vita, sive Virtus; Spiritum Sanctum, cui virtus tribuitur, sicut Potentia Patri & Sapientia Filio, Atque deinde in He, quod est; Esse; Essentiam divinam unam in tribus prædictis personis.

*Heic.**Exo. 3.*

Constringo vos in nomine indicibili Heje † quo dominus voluit à filiis Israel, in captivitate Aegypti cognosci: ipso dicente Moyse servo suo; Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel; Qui est, misit me.

*Haja.**Apo. 2.*

Exorcizo vos ut exeatís statim, verè, sine dolo, & fallacia aliqua, in nomine Haja hove veihe †, Deo ex æternitate convenientissimum; sicut viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedunt in sedibus suis, cadentes in facies suas, & Deum adorantes, adjudicarunt, cum dicerent; Gratias agim⁹ tibi domine Deus noster omnipotens: qui es, qui eras, & qui venturus es.

*El.**Jud. 24.**P. Reg. 2.*

Constringo vos hinc abire cum omni societate vestra & omni maleficiorum genere, per nomē El. † propter fortitudinem infinitæ potentiae Dei, sibi, maxime debitum: Sanctus est enim, & fortis æmulator; & non est fortis sicut Deus noster,

Exorci-



Exorcizo vos per nomen Dei Sabaoth † quod Hieremias Propheta domini manifestavit, dum supplicationes funderet ipsi dicendo; Tu autem domine Sabaorth, qui judicas justè, & probas renes & corda, videam ultionem tuam ex eis Sicut & ego nunc ultorem gladium invoco, super omnes vos malos spiritus, à domino Deo exercituum.

*Hier. 2.  
Sabaorb.*

Conjuro vos per nomen Agla †, omnipotentis æternitatis, & æternæ potestatis, in mysterio visionis noctis Danieli mirificè demonstratæ, in quasi filio hominis in nubibus cæli venientis usque ad thronum antiqui dierum sedentis, à quo & potestatem, & honorem, & regnum accepit æternum; Potestas ejus namque potestas æterna est, quæ non auferetur; & regnum ejus quod non corrumpetur.

*Agla.*

*Dan. 7.*

Exorcizo vos ut obedientiam Deo, ab hac creatura ejus discedentes, exhibeatis, per virtutem nominis Adonai †, cujus locutus est dominus ad Moysen dicens; Ego dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis: Ipse est qui vocat aquas maris, & effudit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus,

*Adonai.  
Exod. 6.*

*Amos. 9.*

Conjuro vos per virtutem nominis Cados †, Dei Sancti Sanctorum, Sancti imparticipata Sanctitate, Sancti per naturam: Non est enim Sanctus ut est dominus, neque est enim alius extra ipsum, & non est fortis sicut Deus noster; Quapropter Seraphim subter solium excelsum & elevatum domini stantes, clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.

*Cados.*

*1. Reg. 2.*

*Isa. 6.*

Præcipio vobis per virtutem, nominis Sciadai †, domini fortis & potentis, domini potentis in prælio, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham & terribilia in mari rubro, in exitu Israel de Ægypto, domino Moyse canente, atque dicente, Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus, Carrus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare.

*Sciadai.*

*Exod. 15.*

Conjuro vos in virtute nominis Dei Alpha, & Omega †,

E

ga †,

*Alpha, & Omega.* ga †; Alpha inquam sine Alpha, Omega sine Omega: Alpha sine Omega, Omega sine Alpha; Alpha in se Omega nobis; Alpha ut creator, Omega ut glorificator: *Apoc. 22.* Ioanni seruo suo revelatum per Angelum dicentem: Ego sum Alpha & Omega, primus & novissimus, principium & finis.

*Agyos, & yschiros.* Præcipio vobis in virtute nominis Dei Agyos, & yschiros †, celebre, & admirabile nimis, juxta illud de quo dictum est Jacob, ab eo cum quo luctatus fuerit usque mane, à quo & nominis novitatem habuit quando cum de ejus inquireret nomine, responsum accepit dicentis: Cur quæris nomen meum quod est mirabile? Et benedixit ei in eodem loco.

*Gen. 33.* *Otheos, & Athanatos.* Constringo vos in virtute nominis Dei Otheos, & Athanatos †, commendatissimum & mirificum valde, sicut illud de quo cum quæreret Manue ab Angelo, sibi multa de vitæ mulieris uxoris suæ in usu ciborum ducatu, disponente, atque futura revelante, tale responsum habuit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Et tandem ipsum in sacrificio cognovit. Per ipsum nomen itaq; vos hinc abire constringo, & ab hoc Dei plasmate discedere.

*Nomina Deitæbraea multa, græcæ.* Præcipio vobis, vosq; constringo per hæc omnia nomina Sancta Dei recensita Schemhamphoras †, Eloha, Ab, Bar, Ruach accodes, Jehova, Tetragrammaton, Heheje, Haja hove vejheje, El, Sabaoth, Agla, Adonai, Cados, Sciadai, Alpha, & Omega, Agyos, & yschiros, Otheos, & Athanatos, ut omni mora postposita, sine læsione animæ, & corporis hujus creaturæ Dei, vel alterius, ipsam liberam à quacumque vestra inhabitatione, & vexatione, sine dolo aliquo, vel fraude, hinc discedere festinetis.

*Nomina quæcumq; & quomodo documq; de Deo dicibilia.* Exorcizo vos tandem, atque conjuro per omnia alia nomina facta Dei essentialia: sive illa sint essentialia substantiva, sive essentialia adjectiva: sive illa sint essentialia substantiva concretiva, sive essentialia substantiva abstractiva; sive illa sint essentialia adjectiva concretiva, sive essentialia adjectiva abstractiva; sive personalia



sonalia: sive notionalia: sive illa sint notionalia personalia, sive notionalia notionum: siveque tandem attributa, ut ab omni maleficio, cujuscumque sit conditionis, & qualitatis; sive sit factum à Dæmone sponte malignante, sive à viro, aut à muliere invocatione diabolica: sive sit factum ad tempus, sive pro perpetuo tempore, hanc imaginem Dei solutam relinquatis, & ad loca convenientia, vobis à Deo parata confugere non tardetis.

Quod si non feceritis nunc; vae, vae, vae vobis, divinam namque concitatam relinquitis majestatem, quam non est fugere, contra quam non datur consilium, nec decipivæ simulationis valet sagacitas, Quid igitur? N. maledicte princeps? Quid cogitas contra dominum? Vosque ceteri Spiritus mali, quid profundi estis corde, ut à domino abscondatis consilium, dicentes; Quis videt nos? Et quis novit nos? Perversa est ista cogitatio, quasi si litum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: non fecisti me; & figmentum dicat factori suo: non intelligis. Non intelliget ille, quem nullum latet secretum? Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat? Et ideo qui corripit gentes, non vos arguet? Arguet, & in temeraria obstinatione vestra vos absorptos confundet, & confusos ab hoc corpore ejiciet, atque ejectos in inferno trucidabit, in secula seculorum.

Isai. 22.

Psal. 91.

## EXORCIZATIO SECUNDA.

Quæ est ex omnium Sanctorum ordine.

g Stando Exorcista coram altare Psalmum sequentem dicat.

Misericordias domini in æternum cantabo. In generatione, & generationem: annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixisti in æternum misericordia edificabitur in cælis: præparasti veritas tua in eis. Disposui testamentum electis meis, juraui David servo meo: ut in æternum præparabo semen tu-



um. Et ædificabo in generatione & generationem; sedem tuam. Confitebuntur cæli mirabilia tuâ domine; etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Quoniam quis in nubibus æquabitur domino; similis erit Deo in filiis dei? Deus qui glorificatur in consilio sanctorum; magnus & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt, Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum; in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cæli, & tua est terra; orbem terræ & plenitudinem eis tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. Tabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt tuum brachium cum potestate. Firmeretur manus tua, & exaltetur dextera tua; Justitia & judicium preparatio sedis tuæ. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit jubilationem, Domine in lumine vultus tui ambulabunt; & in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es; & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia domini est assumptio nostra, & Sancti Israel regis nostri. Tunc locutus es in visione Sanctis tuis, & dixisti posui adiutorium in potestate, & exaltavi electum de plebe mea. Inveni David Servum meum; oleo Sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei; & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo; & filius iniquitatis non apponet nocere ei, & concidam à facie ipsorum inimicos ejus; & odientes eum in fugam convertam. Et veritas mea & misericordia mea cum ipso; & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam in mari manum ejus; & in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me, pater meus es tu; Deus meus, & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum, ponam illum; excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam; & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi seminem ejus; & thronum ejus sicut dies cæli. Si autem dereliquerint

filiis ejus legē meam; & in judiciis meis non ambulaverint. Si justitias meas profana verint; & mādata mea nō custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorum; & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo; neque nocebo in veritate mea. Neque profanabo testamentum meum; & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David meriar, semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum; & testis in cœlo fidelis. Tu verò repulisti & despexisti; distulisti Christum tuum. Avertisti testamentum servi tui; profanasti in terra sanctuarium tuum. Destruixisti omnes sepēs ejus; posuisti firmamentum ejus formidinem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam; factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram deprimentium eum: Lætificasti omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii ejus; & non es auxiliatus ei in bello. Destruixisti eum ab emundatione: & sedem ejus in terra collisisti. Minorasti dies temporis ejus; perfudisti eū confusione. Vsq; quo domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua: Memorare quæ mea substantia: nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi? Vbi sunt misericordie tuæ antiquæ, domine: sicut jurasti David in veritate tua? Memor esto domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sino meo) multarum gentium. Quod exprobraverunt inimici tui domine: quod reprobraverunt commutationem Christi tui. Benedictus dominus in æternum, fiat, fiat. Gloria Patri &c.

*¶ Versus personam obsessam se vertens Exorcista, sequentem lectionem dicat.*

Lectione lib. Regum.

**S**piritus domini recessit à Saul, & exagitabat eum *1. Reg. 16.*  
 Spiritus nequam à domino. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus domini malus exagitat te. Jubeat dominus noster Rex, & servi tui qui coram te



sunt quærent hominem scientem psallere cithara; ut quãdo arripuerit te spiritus domini malus, psallat manu sua, & leuius feras. Et ait Saul ad seruos suos; providete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducire eum ad me. Et respondens unus de pueris ait; Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, virum pulchrum & dominus est cum eo. Misit ergo Saul nuncios dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. Tulit itaque Isai Asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris unum, & misit per manum David filii sui Saul. Et venit David ad Saul, & stetit coram eo. At ille dilexit eum nimis, & factus est ejus argimer. Misitq; Saul ad Isai dicens; Stet David in conspectu meo; invenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quando cumque Spiritus domini malus arripiebat Saul, David tollebat Citharam, & percutiebat manu sua: & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo Spiritus malus.

*¶* *Manu posita super vertice capitis personæ obfesse, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelij.*

Lectio Sancti Evangelij secundum Matthæum.

*Matth. 8.*

**C**UM venisset Iesus trans fretum in regione Genasensorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, se vi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecco magno impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt.

*¶* *Immedi-*



*g Immediate Exorcista flectens genua, cum omnibus astantibus, dicat Litanias sequentes.*

## LITANIE.

**K** Yrie eleison, R. Kyrie eleison.  
 Sancta Trinitas unus Deus, R. miserere nobis  
 Sancta Maria, R. Ora pro nobis.

Omnes Sancti beatorum spirituum ordines.

R. Orate pro nobis.

Omnes sancti Patriarchæ, R. Flagellate illos.

Patriarchæ præcursores Evang. R. Flag. ill.

Patriarchæ tentoria Israel, R. Flagell. illos.

Patriarchæ longanimes in spe, R. Flag. illos.

Patriarchæ hæreditas domini, R. Flag. illos.

Patriarchæ præsignatores Ecclesiæ, R. Flag. il.

Patriarchæ semina Sanctorum, R. Flag. illos.

Omnes Sancti Prophetæ, R. flagel. illos.

Prophetæ testes divini, R. flag. il.

Prophetæ signa salutis, R. flag. il.

Prophetæ oracula sancti spiritus, R. flag. il.

Prophetæ milites legis, R. flag. il.

Prophetæ futurorum præcii, R. flag. il.

Prophetæ nuncii certissimi, R. flag. il.

Omnes Sancti Apostoli, R. flag. il.

Apostoli domestici Dei, R. flag. il.

Apostoli palmites veræ vitis, R. flag. il.

Apostoli Iudices seculi, R. flag. il.

Apostoli sapientes principes, R. flag. il.

Apostoli duces triumphales, R. flag. il.

Apostoli piscatores hominum, R. flag. il.

Omnes sancti Evangelistæ, R. flag. il.

Evangelistæ mundi lumina, R. flag. il.

Evangelistæ fidè præclari, R. flag. il.

Evangelistæ scriptores veridici, R. flag. il.

Evangelistæ Alæ extentæ, R. flag. il.

Evangelistæ cancellarii fideles, R. flag. il.

Evangelistæ testimonia gentium, R. flag. il.

*Patriar-  
charum.*

*Propheta-  
rum laus  
des.*

*Apostolo-  
rum laus  
des.*

*Evange-  
listarum  
laudes.*

- Innocen-  
tum laudes* Omnes Sancti Innocentes. R. Flag. illos.  
Innocentes Deo digni. R. Flag. illos.  
Innocentes sine macula. R. Flag. il.  
Innocentes holocausta medullata. R. Flag. il.  
Innocentes peccatum nescientes. R. Flag. il.  
Innocentes stola candidi. R. Flag. il.  
Innocentes flores martyrum. R. Flag. il.
- Martyrum  
laudes.* Omnes Sancti Martyres. R. Flag. il.  
Martyres charitate fervidi. R. Flag. il.  
Martyres florentes Palmæ. R. Flag. il.  
Martyres victimæ holocausti. R. Flag. il.  
Martyres examinatum aurum. R. Flag. il.  
Martyres vestes coccineæ. R. Flag. il.  
Martyres propter justitiam passi. R. Flag. il.
- Pontificum  
laudes.* Omnes Sancti Pontifices. R. Flag. il.  
Pontifices humiles corde. R. Flag. il.  
Pontifices opere prudentes. R. Flag. il.  
Pontifices animarum curæ. R. Flag. il.  
Pontifices portæ justitiæ. R. Flag. il.  
Pontifices consortes sublimium. R. Flag. il.  
Pontifices Pastores gentium. R. Flag. il.
- Confesso-  
rum lau-  
des.* Omnes Sancti Confessores. R. Flag. il.  
Confessores pauperes ditissimi. R. Flag. il.  
Confessores spe temperatissimi. R. Flag. il.  
Confessores calami mensuræ. R. Flag. il.  
Confessores humiles exaltrati. R. Flag. il.  
Confessores boni dispensatores. R. Flag. ill.  
Confessores lumina mundi. R. Flag. il.
- Doctorum  
laudes.* Omnes Sancti Doctores. Flag. illos.  
Doctores cælitus edocti. Flag. illos.  
Doctores tubæ Sancti Spiritus. R. Flag. il.  
Doctores vigilarum custodes. R. Flag. il.  
Doctores orbis reparatores. R. Flag. il.  
Doctores lucernæ in candelabro. R. Flag. il.  
Doctores sal terræ. R. Flag. il.
- Monacho-  
rum lau-  
des.* Omnes Sancti Monachi. R. Flag. il.  
Monachi in cælo thesaurizantes. R. Flag. il.  
Monachi hospitalitate præcipui. R. Flag. il.

Monachi acies ordinatæ. R. Flag. il.  
 Monachi milites pacis. R. Flag. il.  
 Monachi correctores carnis. R. Flag. il.  
 Monachi semina benedictionis. R. Flag. il.

Omnes Sancti Eremitæ. R. Flag. il.  
 Eremitæ oves pascuæ domini. R. Flag. il.  
 Eremitæ in promissis creduli. R. Flag. il.  
 Eremitæ mundi corde. R. Flag. illos.  
 Eremitæ secutores pacis. R. Flag. il.  
 Eremitæ virtutum Sectatores. R. Flag. il.  
 Eremitæ mundi contemtores. R. Flag. il.

*Eremitarum laudes.*

Omnes Sancti Sacerdotes. R. Flag. il.  
 Sacerdotes decus Ecclesiæ. R. Flag. il.  
 Sacerdotes Christi domini. R. Flag. il.  
 Sacerdotes seculi victores. R. Flag. il.  
 Sacerdotes servi fideles. R. Flag. il.  
 Sacerdotes sacre dotes. R. Flag. il.  
 Sacerdotes sacra dantes. R. Flag. illos.

*Sacerdotum laudes.*

Omnes Sancti Levitæ. R. Flag. il.  
 Levitæ pacis filii. R. Flag. il.  
 Levitæ in præceptis obedientes. R. Flag. il.  
 Levitæ grex pusillus. R. Flag. il.  
 Levitæ spretores odii. R. Flag. il.  
 Levitæ pane vitæ cibati. R. Flag. il.  
 Levitæ matutinales custodiæ. R. Flag. il.

*Levitarum laudes.*

Omnes Sanctæ Virgines. R. flag. il.  
 Virgines prudentes. R. flag. il.  
 Virgines casta generatio. R. flag. il.  
 Virgines Ficellæ scirpæ. R. flag. il.  
 Virgines Deum videntes. R. flag. il.  
 Virgines in carne sine carne. R. flag. il.  
 Virgines sponsæ Christi. R. flag. il.

*Virginum laudes.*

Omnes Sanctæ Viduæ. R. flag. il.  
 Viduæ prudentes in consilio. R. flag. il.  
 Viduæ mulieres fortes. R. flag. il.  
 Viduæ virtutis inviolabilis. R. flag. il.  
 Viduæ Naves institoris. R. flag. il.  
 Viduæ specula morum. R. flag. il.

*Viduarum laudes.*



Viduz magistræ castitatis. R. flag. il.

Omnēs Sancti & Sanctæ Dei, R. flag. il.

*¶ Surgens Exorcista, stando, facie conversa ad altare, modo sequenti Deum exoret.*

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Apprehende arma & Scutum.

Resp. Et exurge in adiutorium mihi.

## O R A T I O.

*De Deo di-  
Et notabi-  
lia.*

**A**desto vera, æterna, & infinita simplicitatis, immutabilitatis, & singularitatis unitas, & in unitatæ naturæ, tres divinæ adestote personæ; & adjuva nos Deus omnipotens, quem nullus præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; potestas enim tua potestas æterna est; & regnum tuum omnium seculorum; in quo facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem; in quorum numero me etiam non meis meritis, sed bonitate tua eligere dignatus es: Jube me igitur, sicut ministrum tuum, ita his malignis apostaticisq; spiritibus ignem urentem esse: & præsta ut me cognoscant medio, superbis te resistere, & humilibus gratiam dare: Quam huic creaturæ tuæ præstare digneris, ut eam terrens Diabolus, & vexans, cum omnibus satellitibus, & maleficiis suis, victus recedat. Usque quo enim improperabit inimicus? Irritat adversarius tuus in finem? Respice domine, respice de cælo sancto tuo, & vide vincolam istam tuam, quam exterminat Aper de sylva, & singularis ferus depascitur, & miserere ei; ut destructis adversitatibus universis, tranquilla libertate tibi servire mereatur, Quod nobis concede per te Deum, Dominum, & Patrem nostrum. Amen.

*¶ Sedeat hic Exorcista, & sequentia compleat.*

EXOR-

## EXORCISMUS.

**E**xorcizo vos maledictos Dæmones, ut fugā capiatis, per præceptisq; ruatis ab hac creatura Dei, sanguine Iesu Christi filii ejus redempta de faucibus voracissimis, vestris, aqua Baptismatis regenerata, in Ecclesiaq; Catholica & Apostolica inter fideles connumeratas per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctū; per Virginem Matrem Dei: per omnes Sanctos beatorum spirituum choro: per merita Sanctorum omnium utriusque Testamenti quorumcunq; ordinum: Sed Patriarcharū in primis, & Abrahamæ præcipuè Patriarchæ, Patriarcharū patris, cui factæ sunt promissiones, & semini ejus, quibus credidit, & reputatum est ei ad justitiam: Isaac deinde, & Jacob, atq; aliorum omnium: in quorum copulatione religiosus Tobias admissus fuit.

*Patriarcharum mentio.  
Gal. 3.  
Rom. 4.  
Tob. 6.*

Exorcizo vos per sanctos Prophetas, qui à Patrefamilias in vineam missi, cæsi sunt, occisi sunt, lapidati sunt. S. Oseas, Johel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, & omnes alios, in quibus multifariam multisque modis olim Deus locutus est.

*Prophetarum laudabilis enumeratio.  
Rom. 1.*

Exorcizo vos per sanctos duodecim discipulos Christi, quos & Apostolos ipse nominavit, S. Simonem, què cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem: Philippum, & Bartholomæum: Matthæum, & Thomam: Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, Judam Jacobi, & Paulum gentium doctorem, qui gratiam accepit, & Apostolarum ad obediendum fidei in omnibus gentibus: Et per omnes alios discipulos domini.

*Apostolorum laudabilis enumeratio.  
Luc. 6.*

Exorcizo vos per sanctos quatuor Evangelistas, S. Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, quos Ezechiel Propheta mirabili vidit intuitu, in similitudine quatuor animalium; Similitudo autem vultus eorum facies Hominis, & facies Leonis à dextris ipsorum quatuor, & facies eorum, & pennæ eorum extensæ desuper, & similitudo animalium, sicut aspectus lampadarum.

*Evangelistarum similitudo.  
Ezech.*

Exorcizo vos per omnes sanctos innocentes manibus,  
& mu-



*Innocentii  
laudes.*

*Apos. 14.*

& mundos corde, qui non acceperunt in vano animas suas, nec jurarunt dolo proximo suo; & cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines .n. sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei.

*Martyrum  
praconia.*

*Heb. 11.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello: Alii autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem; alii vero ludibria, & verbera experti. insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.

*Episcoporum  
laudes.*

*Tit. 1.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Pontifices vere ad Pastorem conversos, & Episcopum animarum suarum; & ideo sine crimine, sicut Dei dispensatores, non superbi; non iracundi, non violenti, non percussores, non turpis lucri cupidi fuerunt; sed sicut oportet Episcopum hospitem esse benignum, sobrium, iustum, sanctum continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam & fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere; tales fuerunt.

*Confessorum  
laudes.*

*Ecl. 44.*

Exorcizo vos per omnes Sanctos Confessores, homines magnos virtute, & prudentia praeditos; nuntiantes in Prophetis dignitatem prophetarum, & imperantes in praesenti populo, & in virtute prudentiae populis sanctissima verba; Qui servientes domino in leticia, introierunt in conspectu eius cum exultatione, & portas ejus in confessione.

*Doctorum  
mentio.*

*Ecl. 4.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Doctores à Domino nostro Iesu Christo Ecclesiae suae sanctae traditos; Ipse enim dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & doctores ad consumationem sancto-

rum



rum, in opus ministerii, in ædificationem corporis, donec occurramus omnes in unitatem fidei.

*Abbatum  
insignia.  
Eccl. 44.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Abbates, & Monachos, homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis; Etenim omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.

*Eremitarum  
insignia.  
Heb. 2.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Eremitas, qui dum in cursu vitæ hujus laborarent, circueverunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ: Palam fecerunt autem disciplinam doctrinæ ipsorum, & in lege testamenti domini gloriati sunt.

*Presbyterorum  
præconia.  
Cor. 6.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Presbyteros, viros misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, sed in omnibus exhibuerunt seiplos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.

*Levitarum  
præconia.  
Rom. 12.*

Exorcizo vos per omnes sanctos Levitas, qui fuerunt in vita sua odientes malum, & adhaerentes bono; charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, ne necessitatibus sanctorum communicantes, & hospitalitatem sectantes.

*Virginum  
laudes.  
Rom. 12.*

Exorcizo vos per omnes sanctas Virgines prudentes, quæ exhibuerunt corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; & probantes quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta; accipientes autem lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ, oleum secum, usque ad adventum sponsi, in media nocte clamantis, ferentes; & tandem cum ipso ad nuptias intrantes.

Exorcizo vos per omnes Sanctas Viduas, quæ ductæ  
charita-

*Viduarum  
laudabi-  
lia.  
Rom. 12.*

charitatis, in hac lacrymarum valle, gaudebant cum gaudentibus, & flebant cum flentibus; Id ipsum invicem sentientes; non alta sapientes, sed humilibus consentientes; nulli malum pro malo reddentes, bona coram omnibus hominibus providentes; Et non à malo victas, sed malum in bono vincentes.

Cæterus omnes Angelici, Patriarcharum cunei, Prophetarū merita, Apostolorum chorus, Martyrum sanguis, Confessorem oratio, Monachorum suffragia, Virginum castitas, & Viduarum Sanctitas, atque omnium sanctorum & sanctarum merita, sint hac nostra humili invocatione in adiutorium nostrum contra vos, & antetremendum tribunal Dei vivi & veri, in testimonium obstinatæ temeritatis vestræ, ne in die furoris ejus dicere possitis; Nullus fuit nobis præcipiens, nullus nos conjuravit: Ego enim Dei minister, vos conjuro & Exorcizo per omnium sanctorum merita, per fidem, pietatē, sobrietatem, castitatem, sapientiam, benignitatem, modestiam, patientiam, constantiā, prudentiam, humilitatem, charitatem, exempla, miracula; atq; perseverantiam; Diffinitiveq; tandem vobis districtè præcipio ut statim discedatis ex hac creatura Dei, & eatis ad loca vobis à Deo optimo maximo designata. Abite ergo, fugite maledicti, & discedite fautores malorum. Quod nunc si facere negligitis; Ignis, grando, mix, glacies, spiritus procellarum sint in partem calicis vestri, nunc, & in perpetuum.

EXORCIZATIO TERTIA.

Quæ est ex præcipuis animadversione dignis  
Sanctorum Angelorum.

*Stando coram altare exorcista Psalmum sequentem dicat.*

*Ps. 103.*

**B**enedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confessionem & decorem induisti; amictus lumine sicut vestimēto. Extendens cælum sicut pellem; qui tegis aquis superiora ejus, Qui ponis nubem ascensum tuū, qui ambulat super



Super pennas ventorum, Qui facis Angulos tuos  
 spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Qui fundasti  
 terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in se-  
 culum seculi. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus  
 super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fu-  
 gient; à voce tonitruu tui formidabunt. Ascendunt  
 moutes, & descendunt campi in locum, quem fundasti  
 eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, ne-  
 que convertentur operire terram. Qui emittis fontes  
 in convallibus; inter mediū montium pertransibunt a-  
 quæ. Potabunt omnes bestix agri; expectabunt onagri  
 in siti sua. Super ea volucres cœli habitabunt; de medi-  
 petrarum dabunt voces. Rigans montens de superiori-  
 bus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra,  
 Producens scœnum jumentis, & herbam servituti ho-  
 minum. Vt educas panem de terra; & vinum lætificet  
 cor hominis. Vt exhilaret faciem cœlo; & panis cor  
 hominis confirmet. Saturabuntur ligna campi, & cedri  
 Libani quas plantavit; illic passeret nidificabunt, Ero-  
 dii domus dux est eorum; montes excelsi Cervis, pe-  
 tra refugium hœrinaciis. Fecit Lunam in tempora; Sol  
 cognovit occasum suum. Posuisti tenebras, & facta est  
 nox; in ipsa pertransibunt omnes bestix sylvæ, Catuli  
 Leonum rugientes, rapiant; & quærant à Deo escam  
 sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt; & in cubilibus  
 suis collocabuntur. Exhibet homo ad opus suum; & ad  
 operationem suam usque ad vesperam. Quam magni-  
 ficata sunt opera tua domine? Omnia in sapientia fe-  
 cisti, impleta est terra possessione tua. Hoc mare ma-  
 gnum, & spaciosum manibus; illic reptilia quorum  
 non est numerus. Animalia pusilla cum magnis; illic  
 naves pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illu-  
 dendum ei; omnia à te expectant, ut des illis escam in  
 tempore. Dante te illis, colligent; aperiente te manū  
 tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem  
 te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, & de-  
 ficient, & in pulverem suum revertentur. Emitte spiri-  
 tum tuū, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Sit  
 gloria domini in seculum; lætabitur dominus in operi-



bus suis. Qui respicit terram; & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant. Cantabo domino in vita mea; psallam Deo meo quandiu sum. Jucundum sit ei eloquium meum; ego verò delectabor in domino. Deficient peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint: benedic anima mea domino, Gloria Patri, &c.

*¶ Versus personam obsessam se vertens Exorcista, sequentem lectionem dicat.*

LECTIO LIB. JOB.

*Job. 1.*

**Q**UADAM die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram domino, affuit inter eos etiam Sathan, Cui dixit dominus: Unde venis? Qui respondens ait: circuiui terram, & perambulavi eam. Dixitq; dominus ad eum: Nunquid considerasti seruum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, & timens Deum, ac recedens à malo? Cui respondens Sathan ait: Nunquid frustra timer Job Deum, Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamq; substantiã per circuitum? Operibus manuum ejus bene dixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululũ manum tuã, tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo dominus ad Sathan: Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusq; est Sathan à facie domini. Cum autem quadam die filii, & filix ejus comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ab Job; qui diceret: Boves arabant & Asinæ pascebantur, & irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus, ut nunciarem tibi. Cumq; adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves puerosq; consumpsit, & effugi ego solus, ut nunciare tibi. Sed & adhuc illo loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt Camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce ali-

ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis, & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti, repente ventus vehemens, irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, ut nunciarem tibi; Tunc surrexit Job: & scidit tunicam suã, & tonso capite corruens in terram, adoravit & dixit, Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est. Sit nomen domini benedictum.

*¶ Mana posita super vertice capitis persone obfesse, dicat Exorcista sequentia sancti Evangelii.*

LECTIO Sancti Evangelii secundum Marcum.

**E**RAT Iesus in Synagoga quasi potestatem habens, & non sicut scribæ. Et erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo, & exclamavit, dicens. Quid nobis & tibi Jesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos? Scio qui sis Sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus: dicens: Obmutescere, & exi de homine, & discerpens eum spiritus immundus, exclamans voce magna, exit ab eo.

*¶ Immediatè Exorcista flectens genua, cum omnibus adstantibus, dicat Litanias sequentis.*

### LITANIÆ.

**K**YRIE Eleison. *R.* Kyrie eleison.

Sancti Dei Angeli. *R.* Orate pro nob.

Angeli creaturæ primæ. *R.* Percutite illos.

Angeli causæ secundæ. *R.* Percut. il.

Angeli Deo similiores. *R.* Percut. il.

Angeli nuntii altissimi. *R.* Percut. il.

Angeli operatores assidui. *R.* Percut. il.

Angeli laudatores Dei. *R.* Percut. il.

Angel. distincti in personis. *R.* Percut. il.

*Angelo-  
rum ap-  
propriatæ  
& laudes.*

F

Angeli

- Angeli dispositi in dignitate. R. Percut. il.  
 Angeli nubes volantes. R. Percut. il.  
 Angeli amatores Sanctitatis. R. Percut. il.  
 Angeli dilecta tabernacula. R. Percut. il.  
 Angeli vita immortales. R. Perc. il.  
 Angeli perfectione boni. R. Percut. il.  
 Angeli natura incommutabiles. R. Perc. il.  
 Angeli natura sapientes. R. Perc. il.  
 Angeli numeratim indicibiles. R. Perc. il.  
 Angeli concordés in ratione. R. Perc. il.  
 Angeli absentes à contrarietate. R. Perc. il.  
 Angeli perspicaces intellectu. R. Percut. il.  
 Angeli castra summi Regis. R. Perc. il.  
 Angeli montes superni. R. Perc. il.  
 Angeli figuræ puræ. R. Perc. il.  
 Angeli scientes instantèr. R. Perc. il.  
 Angeli contemplatione, beati. R. Perc. il.  
 Angeli mutabiles conditi. R. Perc. il.  
 Angeli immutabiles effecti. R. Perc. il.  
 Angeli à sensu incogniti. R. Perc. il.  
 Angeli superbiorum repressores. R. Perc. il.  
 Angeli humilium exaltatores. R. Perc. il.  
 Angeli impassibiles animo. R. Perc. il.  
 Angeli nobilitate non elati. R. Perc. il.  
 Angeli vocatores infidelium. R. Perc. il.  
 Angeli custodes fidelium. R. perc. il.  
 Angeli instrumenta Dei. R. Perc. il.  
 Angeli circulariter mobiles. R. Percut. il.  
 Angeli rectè dirigibiles. R. Percut. il.  
 Angeli oblique progressibiles. R. perc. il.  
 Angeli cognoscentes in verbo. R. perc. il.  
 Angeli intelligentes in vobis. R. perc. il.  
 Angeli attractores mentium. R. perc. il.  
 Angeli domestici contritorum. R. perc. il.  
 Angeli iuvatores oppressorum. R. perc. il.  
 Angeli amatores castissimi. R. perc. il.  
 Angeli virtuosos, & decori. R. perc. il.  
 Angeli lucis, & claritatis. R. percut. ill.



Angeli statu innocentes. perc. il.

Angeli gloria gaudentes. R. perc. il.

Angeli felicitate securi. R. perc. il.

Angeli pacis R. perc. il.

Sancti Spiritus Seraphim. R. perc. il.

Sancti Spiritus Cherubim. R. perc. il.

Sancti Spiritus Throni. R. perc. il.

Sancti spiritus Dominationes. R. perc. il.

Sancti spiritus principatus. R. perc. il.

Sancti spiritus Potestates. R. perc. il.

Sancti spiritus Virtutes. R. perc. il.

Sancti spiritus Archangeli. R. perc. il.

Sancti spiritus Angeli. R. perc. il.

Omnes simul sanctorum Spirituum ordines.

R. percutite illos.

*¶ Surgens Exorcista, facie conversa ad altare, modo sequenti Deum exoret.*

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.

R. Et angelus domini coarctans eos.

## ORATIO.

**P**ater, in Filio & Spiritu sancto : Filius in Patre, & *Notabilia*  
 Spiritu sancto ; & Spiritus sancte, in Pater & Filio ; *dicta de*  
 Sancta Trinitas una substantia, una essentia, unus *Deo.*  
 Deus, qui immutabilis es ratio, creans mentem ad te  
 participandum ; vivificans ad sentiendum ; efficiens ad  
 appetendum ; dilatans ad capiendum ; justificans ad  
 promerendum ; foecundans ad fructum ; promovens ad  
 bonitatem ; dirigens ad æquitatem ; roborans ad vir-  
 tutem ; formans ad benevolentiam ; modificans ad sci-  
 entiam ; moderans ad sapientiam ; visitans ad consola-  
 tionem ; illuminans ad cognitionem ; perpetuans ad  
 immortalitatem ; implens ad felicitatem ; & circun-  
 dans ad securitatem : circunda quæso hanc creaturã tuã  
 lumine gratiæ tuæ, & in tranquilla protectionis secu-  
 ritate custodi : Et, quia non vis mortem peccatoris,

sed ut convertatur & vivat, operi manuum tuarum d<sup>a</sup> dexteram ut iudices causam tuam; nam inimici tui facturam tuam perturbant, & impetu facto, tyrannica invasione possedunt: reddeq; huic sanitatem mentis & corporis, & gratiam tuam conserva, ut sic deinceps ambulet per bona temporalia, quod non amittat æterna, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; in quibus tu trinus & unus æternè vivendo gaudes, per omnia secula seculorum, Amen

*¶ Sedeat Exorcista, & sequentia compleat.*

## EXORCISMVS.

**E**Xorcizo vos maledictos spiritus, qui hoc plasm<sup>a</sup> Dei temeraria in sessione vexare præsumitis, sicut eadem auctoritate, sic eadem indifferentia, à primo usque ad ultimum, quatenus omni compressa superbia, superbiendi que remissa protervia, ac omnino proterviendi temeritate relicta, ab hac omnipotentis creatura, sanguine domini nostri Iesu Christi recreata, verè & realiter, cum cujuscumque generis Maleficio, si necesse est, discedatis, ità ut immediatè, vel maleficio aliquo intercedente, nihil vobis eum eadem commune sit, per omnes Sanctas Angelicas substantias, creatas, & immateriales; intellectu perspicaces, & voluntate pollentes; dilectione mobiles, & arbitrio liberas; Deoq; ministrantes, & sempiterna immortalitate gaudentes.

Exorcizo vos per omnes sanctas beatorum spirituum Hierarchias, in quibus simul, & in quarum qualibet, mysterium Sanctissimè Trinitatis & unitatis Dei relucet, sicut enim tres simul sunt in unam Sanctam triumphantem Ecclesiam, sic tres divinæ existunt personæ in unam Sanctissimã divinæ substantiæ essentiam; In superiori autem unica, essentia Dei una, & in ejus ordine trino, Seraphim, Cherubim, & Thronorum, divinarum personarum trinitas mirificè contemplatur; sicut in media unica, ac in ejus ordine trino, Dominatum, Potestatum, & Principatum idè deprehenditur; atque in inferiori unica, & in ejus ordine trino, Virtutum,

*Quid sit  
Angelus.  
Dam. lib.  
secundo.  
Cap. 3.*

*Trinitatis  
& unitatis  
Dei myste-  
rium in ca-  
lestibus  
Hierarchijs  
relucet.*



eum, Archangelorum, & Angelorum, idem declaratur.

Exorcizo iterum atque iterum vos per illuminationes varias, sive diversos modos illuminationum caelestium Hierarchiarum omnium, & ordinum, quorum qui sunt in prima Hierarchia à Deo illuminantur, sicut ab eisdem qui sunt in secunda; atque qui de tertia ab his qui de secunda; Seraphim etenim primi ordinis primæ Hierarchiæ; Dominationibus; primi ordinis secundæ illuminationes transfundunt, & Dominationes Virtutibus; primi ordinis tertiæ; Cherubim verò secundi ordinis primæ, Potestatibus secundi ordinis tertiæ; Quæadmodum Throni, tertii ordinis secundæ, & Principatus, Angelis, tertii ordinis tertiæ.

Adjuro vos, per excellentiam amoris Seraphim, quos omnes alios inferiores ordines ferventissimo ardore charitatis excedunt, eosdemq; ad eundem semper manifestissime promovent, diligendiq; formam, dum divinam bonitatem declarant, mirifice tribuunt, etsi ad aliud extra amatum non divertant; immediatè enim amato Deo junguntur; unde & fieri semper solet ut purius in ipsos Theophaniæ deferantur.

Adjuro vos iterum per excellentiam scientiæ Cherubim, in quibus plenitudo scientiæ esse non ambigitur, cum vicinius primæ veritati jungantur, & ideo in ipsis copiosissime fulget divini luminis radii, unde & omnes alios angelicos ordines cognitione excedunt, & homines ad divinam notitiam promovere non tardant.

Adjuro vos iterum atq; iterum per excellentiam immediatæ cognitionis rationum divinatorum operum Thronorum in quibus dominus sedens judicia operationum suarum per eos determinat; quapropter in ipsis præcipue rectitudo diæ divini judicii relucet, ac operum omnium inculpabilitas, quam virtute Dei desuper recipientes, ad inferiores, transfundunt.

Expello vos per excellentiam virtutis dominandi Dominationum; Dominantur enim, in primis, timore servili deposito, domino servientes, cui servire regnare est; cæteris Angelis, deinde Hominibusque tandem;

*Illuminatur Hierarchia caelestes, & ordines diversissimo modo.*

*Seraphim alios ordines excedit in amore*

*Cherubim alios ordines excedit in scientia. Thronorum ordo alios excedit in immediata cognitione rationum divinatorum operum.*

*Dominationum ordo alios excedit in diversissimo modo domi-*



dominandi modum multimodè declarantes, nam in bello spirituali homines prædocent, prælatos de benevobis domini pascendis admonente, atq; principes omnes de inculpabili subditorum cura instruere non cessant.

*Potestatum ordo alios excedit, diversos diversimodè illuminando.*

*Greg.*

*Ipsa Principatum ordo alios excedit dum diversis diversimodè præst.*

*Virtutum ordo alios excedit in fortitudine.*

*Archangelorum ordo alios excedit in summorum nuntiatione.*

Expello vos iterum per excellentiam ordinandi Potestatum, qua inferiores angelos divinæ potentiae conformare, assidua solitudine satagunt, prædoctosq; in agone spiritualis pugnae homines, ne in cerramine deficient, & spirituale regnum amittant, confortando & defendendo dirigunt; dum adversas virtutes ipsis subiectas ne tantum modo noceant, quantum cupiunt, coercent.

Expello vos iterum atq; iterum per excellentiam præferentiae Principatum, Secundum quam subditos Angelos ad divinum mysterium explendum disponunt, & universale gubernium unius gentis & regni ad Dei similitudinem ducunt, præsertim, justitiam inter homines, ad Dei solius gloriam & honorem, exercendam promovent, & reverentiam unicuique exhibendam, secundum suæ dignitatis gradum constantissime docent.

Mando vobis per excellentiam fortitudinis Virtutum, quam inconcussa persistencia & ad divinas operationes conveniunt, & timore deposito, omnia sibi convenientia aggrediuntur divina: Robore infatigabili, piarum mentium infinita ferè Deo transmissa munera percipiunt; Incessabili suggestu sacros divini gregis pastores curant de eodem bene regendo informare; Atque, cum per hos Deus miracula faciat, quarunt sanctos homines in hoc sibi ipsis conformare.

Mando vobis iterum per excellentiam summa nuntiandi Archangelorum; Meruerunt enim de Christi mirabilibus homines expedire; Ab his etenim Verbi incarnatio Mariæ virgini nuntiatur, nato verò domino, in altissimis gloria, & in terris pax mirifice cætat; Herodis impietas contra Christum propalatur, & regressus ejus ab Aegypto commendatur; Christo in deserto tentato ministratur, atq; idem in horto agonizans confortatur.

Mando

Mando vobis iterum atq; iterum per excellentiam exhibitionis obsequii Angelorum: Deo enim obsequurur, in quem amare contendunt, semper obedientes; atq; sibi ipsis in bono se liberè firmantes: nec non & proximis auxilium præstantes, cum ad hominum custodiam depurati sunt, ad divinam cognitionem eosdem deducentes, & ut justè vivant carissimè monentes.

Iterum adjuro vos per omnium Sanctorum Angelorum cognitionem: Vespertinam scilicet qua per species inditas pro ut in propria natura consistunt, cognoscunt: & Matutinam, qua res in verbo deprehendunt: Sed & per cognitionem matutinam naturalem, qua Verbum per similitudinem ejus in ipsorum naturam, relucentè cognoscunt; Et matutinam gloriæ, qua verbum per essentiam deprehendunt; Atque per cognitionem tandem, quam habent per superiorem illuminationem.

Adjuro vos quoq; per omnium sanctorum Angelorum permanentiam in bono, in qua firmanur natura quidem, cum spiritualis creatura semel vertibilis sit, propter suam simplicitatem enim, se totam convertit in id quod libere eligit, nec conjunctum habet à quo inde irabatur; Gratia verò cum stabili æterno Deo, nunquam excidenti vinculo charitatis connectatur; Sed & Gloria, qua cum Deum habeant omni bono bonum, aliunde non habent, unde perquirant bonum.

Adjuro vos etiam per omnium sanctorum Angelorum prælationem, secundum quam Angeli primæ Hierarchiæ illuminant & perficiunt Angelos secundæ, & qui de secunda, illos qui de tertia, ab eisdem verò homines diversimodè; cum quidam regionibus quidam ecclesiis, quidamq; personis præsent, usque in mundi finem, quando eorum regimen, ad patriam dirigentem, cessabit.

Iterum expello vos per omnium sanctorum Angelorum locutionem, qua ex apprehensis in motu admirationis exurgentes, affectus suos Deo repræsentant; & irradianti illuminatione, dum facti alicujus speciem ostendunt, ad invicem verbo mentis loquuntur; atque

*Angelorum ordo alios excelsit in exhibitione obsequij.*

*Cognitio Angelorum quod triplex sit.*

*Confirmatio Angelorum in bono quod triplex sit.*

*Prælatio Angelorum qualis sit.*

*Loquitur Angelus diversimodè.*



cum hominibus, verbo vocali in assumpto corpore, si-  
ve impressione rerum sensibilium in instrumento ima-  
ginis móto.

*Custodi-  
unt Angeli  
homines  
diversimo-  
de.*

*Exod. 25.*

*Dan. 3.*

*4. Reg. 6.*

*Tob. 5.*

Expello vos quoque per omnium Sanctorum Ange-  
lorum de bona hominis custodiam, qua nos stantes di-  
versimode tenent, cadentes juvant, & jam lapsos eri-  
gunt, dum cum Jebusæo è nobis mala remonent, cum  
Sidrac, Misac, & Abdenago tentationes mitigant, vidè-  
te Eliseo contra visibiles hostes adjuvant, cum Tobia in  
adversis consolantur, atque cum eodem à contrariis po-  
testatibus protegunt, maledictas ipsas potestates dum  
arcentes confundunt.

*Numerus  
sing. est  
copiosissi-  
mus.*

*Dan. 7.*

*Apec. 5.*

Expello vos etiam per omnium Sanctorum Angelo-  
rum copiosissimam multitudinem, omnium novem  
superiorum ordinum celestis curiæ sedes cumulatissi-  
ma numerositate replentem, dum cuilibet ordini super  
sexto millenario sexingentorum, & sexaginta sex Le-  
gionum numerum ordinatissime signat, cui us dum ac-  
cepisset Daniel in visione noctis, scripsit dicens, Millia  
millium ministrabant ei, & decies cetera millia assiste-  
bant ei: Millia quoque millium erat numerus illorum  
quos Ioannes vidit Angelorum, in circuitu throni, &  
animalium, & seniorum.

*Æviter-  
nitate an-  
geli quomo-  
do sint per-  
petui.*

Iterum mando vobis per omnium Sanctorum Ange-  
lorum æviternitatem, qua etsi quando in principio cre-  
avit Deus cælum, & terram, habuerint principium, ut  
ab immateriali increato different, qui æternitate men-  
surantur, non tamen aliquando finem habebunt, pro-  
pter quod à creato materiali disjunguntur, quod de-  
fectibile est; Quapropter tempori non subiciuntur  
continuo, nec quo ad essentiám quæ æviternitate per-  
severat, nec quo ad operationes, quæ instanti temporis  
discretive, cujus ratione indivisibilitas non est, mensu-  
rantur.

*Victoriosi  
sunt boni  
Angeli  
contra ma-  
los.*

Mando vobis quoque per omnium Sanctorum An-  
gelorum, contra vos malos spiritus, victorias reporta-  
tas, sed per illam præcipuè, qua Michaelæ, & Angelis  
ejus realiter, voluntate, virtute divinæ gratiæ, ex fide  
& merito



& merito passionis Christi prævisæ, cum scelestissimo Dracone principe vestro, & vobis, malicia vestra debilitatis præliantibus, factum est vos non prævaluisse, sed à supernis cœlorum ad ima dejectos fuisse, nec locum vobis amplius in cœlo permansisse.

Mando vobis etiam per omnium Sanctorum Angelorum incognita nomina, sed per revelata in Sacris litteris præcipue: Et in primis per nomen unius de principibus primis qui in adiutorium polo Dei venire, cum Diabolo disputare, & Dracone præliare consuevit scilicet Michael: Quis ut Deus? interpretatum; Dei ad per nomen intelligentias visionum declarantis, ventura de Messia ejusque præcursore revelantis, & incarnationem divini Verbi nunciantis scilicet Gabriel: Fortitudinem Dei sententiam referentem: Atque per nomen unius ex septem ante dominum astantibus Angelorum, cæcitatibus curationis, & Dæmonis religatoris scilicet Raphael: Dei medicinam significans.

*Nomina  
Ang. re-  
velata.*

Atque tandem Exorcizo vos nimis superbos, protervos nimis, nimisque temerarios, per omnia maledicta simul: Per omnes Sanctas Angelicas substantias, beatorumque spirituum Hierarchias, ac per ipsarum diversas illuminationes: Adjuro vos per excellentiam ardoris Seraphim, scientiæ Cherubim, ac cognitionis immediatæ rationum divinorum operum Thronorum: per omnium Sanctorum spirituum cognitionem, perseverantiam in bono, & prælationem: Expello vos per excellentiam virtutis dominandi Dominationum, ordinandi Potestatum, ac præferentiæ Principatum: per omnium Sanctorum spirituum loquutionem, hominum custodiam, & multitudinem copiosam: Nec non mando vobis per excellentiam fortitudinis Virtutum, summa nunciandi Archangelorum, ac exhibitionis obsequii Angelorum: per omnium Sanctorum spirituum æviternitatem, victorias, & nomina, ut hinc statim discedatis, ac maleficia omnia, si quæ sunt, destruatis.

Maledicte, qui contemptibilem primitatem in hanc creaturam Dei obtines? Maledictique cæteri omnes?

*Diabolus  
qualis ef-  
fectus sit  
propter  
peccatum.*

Simul impenitentes? Exclufi à Dei contemplatione? Infirmati in virtute? Excacati à vero, Deo ordinati in bono? Obftanti in malo? Quid temerariè contra Dei autoritatem, noftrumque recogitatis ministerium? Ruant omnes machinationes veftre: difpergantur omnia maleficia, & à poffeffione cadite hujus redemptæ perfonæ à domino noftro Iefu Chrifto triumphatore temeritatis veftre, ficut veftre culpa, de luce in tenebras, de fcientia in ignorantiam, de innocentia in culpam, de felicitate in pœnam & de dilectione in odium Dei & hominum cecidiftis; ficut enim non amplius cœlum veftre fedes eft, fic neque modo plafma hoc Dei eſſe debet, fed aeris tenebroſi caliginofa loca, vobis à Deo parata; Ibi itaque abire recedentes, ut poſt mundi curſum, in die iudicii in ignem æternum deſcendatis

### EXORCIZATIO QUARTA.

Quæ eſt ex actibus vitæ glorioſæ

Virg. Mariæ.

*¶ Stando Exorcifia coram altare, Pſalmum  
ſequentem dicat.*

*Lec. 1.*

**M**agnificat anima mea dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus. Et miſericordia ſua à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede; & exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum; recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini ejus in ſecula. Gloria patri, & filio, & ſpiri-  
tui, &c.

*¶ Verſus perſonam obſeſſam ſe vertens Exorcifia,  
ſequentem lectionem dicat.*

Lectio



## Lectio libri Genesis.

**V**ocavit dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? *Gen. 3.*  
 Qui ait: Vocem tuam domine audivi in Paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit dominus; Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses? Nisi quod de ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitq; Adam: Mulier quae dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit dominus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quae respondit. Serpens decepit me, & comedi. Et ait dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terrae. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

*¶ Manu posita super vertice capitis persone obfessa, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelii.*

## Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

**E**Rat Jesus ejiciens Daemonium, & illud erat mutum: & cum eiecisset Daemonium, loquutus est mutus, & admiratae sunt turbae. Quidam autem ex ipsis dixerunt: In Beelzebub principe Daemoniorum ejicit daemonia. Et alii tentantes signum de caelo quarebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem, & Sathanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius? Quia dicitis in Beelzebub ejicio Daemonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio Daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidat, & spolia distribuet. Qui non est mecum, *Luce. 11.*  
 contra

contra me est : & qui non colligit mecum, dispergit. Cū immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem & non inueniens, dicit : Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatā. Tunc vadit & assumit septem alios spiritos, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit : Quinimo : beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

*¶ Immediate Exorcista flectens genua, cum omnibus adstantibus, dicat Litanias sequentes.*

## LITANIÆ

**K**Yrie eleison. R. Kyrie eleison.

Christe eleison. R. Christe eleison.

Kyrie eleison. R. Kyrie eleison.

Sancta Maria, R. Ora pro nobis.

Maria electa Patris. R. Confunde illos.

Maria genetrix Filii. R. Conf. il.

Maria sacrarium Spiritus sancti. R. Conf. il.

Maria ancilla Trinitatis. R. Conf. il.

Maria mater Dei. R. Conf. il.

Maria mater & virgo. R. Conf. il.

Maria virgo virginum. R. Conf. il.

Maria amicta sole. R. Conf. il.

Maria pulchrior Luna. R. Conf. il.

Maria stella maris. R. Conf. il.

Maria arcus refulgens. R. Conf. il.

Maria aurora lætificans. R. Conf. il.

Maria lux meridiana. R. Conf. il.

Maria tota pulchra. R. Conf. il.

Maria speculum immaculatum. R. Conf. il.

Maria venter beatus. R. Conf. il.

Maria sedes sapientiæ. R. Conf. il.

Maria arca levigata. R. Conf. il.

Maria

*Maria Vir-  
ginis ap-  
propriata,  
& laudes.*



- Maria Vas honoris. R. Conf. il.  
 Maria domus domini. R. Conf. il.  
 Maria templum animarum. R. Conf. il.  
 Maria liliū inter spinas. R. Conf. il.  
 Maria virga de Jesse. R. Conf. il.  
 Maria virgula fumi. R. Conf. il.  
 Maria fons signatus. R. Conf. il.  
 Maria puteus aquarum. R. Conf. il.  
 Maria rubum incombuſtum. R. Conf. il.  
 Maria porta clauſa. R. Conf. il.  
 Maria ciuitas Dei. R. Conf. il.  
 Maria hortus concludus. R. Conf. il.  
 Maria aſcendens per deſertum. R. Conf. il.  
 Maria Delirijs affluens. R. Conf. il.  
 Maria thus redolens. R. Conf. il.  
 Maria oliua pullulans. R. Conf. il.  
 Maria plantatio cedri. R. Conf. il.  
 Maria ſpes noſtra. R. Conf. il.  
 Maria regina cælorum. R. Conf. il.  
 Maria regina Seraphim. R. Conf. il.  
 Maria regina Cherubim. R. Conf. il.  
 Maria regina Thronorum. R. Conf. il.  
 Maria regina Dominationum. R. Conf. il.  
 Maria regina Principatum. R. Conf. il.  
 Maria regina Potēſtatum. R. Conf. il.  
 Maria regina Virtutum. R. Conf. il.  
 Maria regina Archangelorum. R. Conf. il.  
 Maria regina Angelorum. R. Conf. il.  
 Maria regina Patriarcharum. R. Conf. il.  
 Maria regina Prophetarum. R. Conf. il.  
 Maria regina Apoſtolorum. R. Conf. il.  
 Maria regina Evangeliſtarum. R. Conf. il.  
 Maria regina Innocentium. R. Conf. il.  
 Maria regina Martyrum. R. Conf. il.  
 Maria regina Pontificum. R. Conf. il.  
 Maria regina Confefſorem. R. Conf. il.  
 Maria regina Doctorum. R. Conf. il.  
 Maria regina Monachorum. R. Conf. il.

Maria regina Eremitarum. R. Conf. il.

Maria regina Sacerdotum. R. Conf. il.

Maria regina Levitarum. R. Conf. il.

Maria regina Virginum. R. Conf. il.

Maria regina Viduarum. R. Conf. il.

Maria regina Sanctorum omnium. Conf. il.

*¶ Surgens Exorcista, stando, facie conversa ad altare, modo sequenti Deum exoret.*

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Da nobis auxilium de Sancto.

R. Quia vana salus hominis.

## ORATIO.

**S**empiternae Deus, qui ut charitas amas, ut veritas noscīs, ut aequitas sedes, ut, majestas dominaris, ut princeps regnas, ut salus mederis, & lux revelas, delicta juventutis hujus plasmatis tui, & ignorantias ejus ne memineris, sed ei misericordiam tuam contende, quam justis petentibus dare consuevisti. Misericordiam tuam domine petimus à te, quia nolumus ignem rigare, aquam urere, aërem germinare, vel terram spirare, nec quicquam contrariam operationem suae naturae facere, nec causam remotam à suo naturali effectum emittere, neque tandem à te quod sit tuae naturae contrarium petere. Miserere itaque, miserere; & hanc facturam tuam à manibus inimicorum tuorum digneris eripere. Nunquid enim bonum tibi videretur si calumniaris, & opprimes hoc opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? Ecce enim quoniam jam inimici ipsi tui sonuerunt, & qui oderunt te extrulerunt caput super eam, malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus eam: Sed tu domine ira furoris tui turba eos, ut confundatur, & hinc abire festinet, ut cognoscant, quia nomen tibi Deus. Quando autem sic, propter tuam erga nos, clementiam, confusi fuerint, fugiet quis. n. tuae resister voluntati? Nos vero nunc exultabimus, & jubilabimus tibi;

Lauda-

*Dicta notabilia de Deo.*



Laudabimus te domine in virtutibus tuis, & secundum multitudinem magnitudinis tuæ: laudabimus te in sono tubæ, in choro cordis, & organo: sumemus psal-  
mum, dabi mus timpanum, psalterium jucundum, cū  
citara, gloriam dantes nomini sancto tuo, cui semper  
fuit, est & erit, honor, & gloria, potestas, & imperium,  
per cuncta semper secula. Amen.

*¶ Sedeat hic Exorcista, & sequentia compleat.*

## EXORCISMUS.

**I**lla Mater Dei intemerata semper virgo Maria, quam  
Dominus omnipotens, in esse cognito, & volito,  
possedit in initio viarum suarum, antequam quic-  
quam faceret à principio, & ab æterno ordinata est ab ip-  
so, & antequam terra fieret: Illa, egoque cum ipsa, vos,  
ô virginitatis hostes, exorcizamus ut suo unigenito fi-  
lio, & domino nostro Jesu Christo locum detis, ipsique  
hoc habitaculum suum, quod temere præsumpistis  
invadere, relinquatis: ac omne maleficiorum genus, si  
necesse fuerit, solventes & extrahentes diripiatis.  
Sed num. N. princeps maledicte, vosq; ceteri abominabi-  
les spiritus, ipsi resistere poteritis?

Illa vos exorcizat, quæ in opere sex dierum mysterio  
declaratur: Videlicet in Luce prima die creata: quia  
ex eo ortus est Sol justitiæ: In firmamento, secunda die  
facto: quia est medians inter Angelicas aquas & huma-  
nas, cum Angelis puritatem habens, & cum hominibus  
naturam: In aquis, tertia die congregatis: quia in ipsa  
omnis se infundit plenitudo aquæ gratiæ: in Luna, cum  
Sole, quæ ab ipso lumen recipit in quarta die: quia splen-  
dorem innocentia, à Sole Christo accepit: In benedicti-  
one creaturis quinta die collata: quia in semine suo be-  
nedicuntur omnes gentes: Et in terra, ex qua fuit homo  
formatus, sexta die: quia ipsa est terra, de qua dictum  
est: Aperiatur terra, & germinet salvatorem.

*Maria  
virgo in  
per sex  
dierum  
creationis  
significata  
fuit.*

Illa vos exorcizat, quæ ex semine Abrahæ, clara  
ex stirpe David, initia suæ conceptionis, sine macula  
traxit;

*Maria vir.  
omnium  
actuum  
vita dis-  
cursus. &  
laudes  
Aug.  
Cypria.*

traxit; ipsam enim Deus immaculatam elegit, & omni præservativa gratia prælegit, ideo quicquid circa ipsam gestum, est totum puritas, totum sanctitas, totumque gratia fuit; & ideo post filium suum; temerarium est in ipsa ponere culpam aliquam, vel peccatum; non enim nec solum non peccavit, sed nec peccatum cogitare potuit.

Illa vobis suis meritis contravenit, ò omnium scelerum immundissima hospitia, quæ antiqui serpentis venenosis afflatibus non infecta, candoris & decoris extitit forma; & ideo sicut in prima femina abundavit delictum, ita ipsa abundavit omnis plenitudo gratiæ; Decuit enim quod sicut terra ex qua primus Adam formatus fuit, erat virgo & nunquam maledicta, ita terra ex qua secundus Adam dominus Iesus Christus carnè assumeret, virgo esset, & nunquam maledicta.

*August.*

Illa vobis suis meritis contravenit, cujus partus extitit salutis exordium, & gaudium annunciavit in universo mundo; ipsa est enim flos campi, de qua ortum est preciosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, & deletur culpa; ex ea enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster qui solvens, maledictionem, dedit benedictionem & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

*August.*

Illa vobis suis meritis cōtravenit, quæ mox ut in mundum per humani generis lineam venit, tanta omnis boni virtute perfecte respandit, ut in eam Dei sapientia veridice judicaret, ut per ipsam in hominem veniens non tantum primorum parentum hominum, sed totius mundi peccata deleteret; Et benedicta super omnes feminas, Angelos vincit puritate, & omnes Sanctos superat pietate.

*Maria  
virgo figu-  
rata fuit.*

Illa vos fugere decernit, o filii perditionis, quæ figurative declaratur in Trono Salomonis, in virga Aaron florida, in Cisterna Ioseph, in Petra de ferri, in Nube levi, in Rubo Moisi, in Thalamo sponsi, in Cypressso exaltata, in Oliva pullulante, in Thure æstate redolente, in Scala Iacob, in Aurora confurgente, in Exemplo Arce in ostensio, atq; in multis aliis.

*Illa*



Illā vos fugere decernit, de qua Prophetice dictum est; Novum faciet dominus super terram, fœmina circumdabit virum: Et alibi: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Hemanuel. Et alibi, Vidi portam in domo domini clausam: & dixit Angelus ad me: Porta hæc quam vides, non aperietur, & homo non transibit per eam, quoniam dominus solus intrat & egreditur per eam, & clausa erit in æt. num.

*Maria Vir  
propheta  
fuit.*

*Isa. 7.*

Illā vos fugere decernit, quæ templum Dei animarū dicitur, Dominus domini, Archa de lignis setim. Sedes throni domini, Vas ornatum omni lapide præcioso. Fons aquarum viventium, Virgula fumi ex aromatibus. Speculum sine macula, Venter incognitus, Virgo veneranda, Mater misericordiæ, sicut tabernacula Cedar, Liliū in transitu aquæ; consolatio desolatorum, spes mortalium, refugium viventium, protectio morientium, ad vocata omnium.

Illā vos, vestramque superbiam calcat, o conversatores infidelium, cui missus est Angelus Gabriel, à Deo, in civitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ut salutationis præmissis in signis, conceptionem dominicam nunciaret dicendo: Ecce concipies in utero, & paries filiū, & vocabis nomen ejus Jesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: Fiet autem istud, spiritu sancto superveniente, & altissimi virtute obumbrante.

*Luc. 1.*

Illā vos, vestramque superbiam calcat, ejus virginis parvus, ut viri honoraretur consortio, Josephi iusto desponsata fuit, qui cum ipsam in ventre habere cognovisset, & ignoraret unde, nolens eam traducere, voluit occultè dimittere eam: sed Angelus domini apparuit illi in somnis dicens: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.

*Luc. 2.*

Illā vos, vestramque superbiam calcat, quæ cum se gravidam cognovisset, exurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ, & intravit in domum Zachariæ & salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth: exultavit infans in

utero ejus. Et repleta est in Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamavit dicens: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

*Beda,*

Illa vos, vestramque pervicaciã vincit. ò discipuli falsitatis, quæ petiit montana, & festinavit invisere Elisabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exemplo, sed ut læta pro voto, religiosa pro officio, typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis anima, quæ verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris.

*Luc. 2.*

Illa vos, vestramque proterviam vincit, quæ novem post conceptionem decursis mensibus: dum medium silentium tenerent, omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret: dum pastores vigilias noctis custodirent super gregem suum, peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.

*August.*

Illa vos, vestramque proterviam vincit, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa: Præcisum est enim in ea illud Evæ infelicitatis e-logium, quo dicitur: in dolore paries filios, quia ista in læticia dominum peperit: Eva enim luxit, ista exultavit: Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit, quia illa peccatorem, ista edidit innocentem.

Illa vos vestramque temeritatem contēnit, ò serpentes superati, quæ virgo ante partum, in partu, & post partum extitit: sicut enim Verbum cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed exinanivit semetipsum formã servi accipiens in similitudinem hominum factus, & ita cum Deus esset, factus est homo, ita illa cum virgo esset, mater facta est & sicut tunc ille non dimisit divinitatem, sic nec ista virginitatem: & sicut ille Deus & homo est, sic ista virgo & mater existit.

*Luc. 2.*

Illa vos, vestramque temeritatem contemnit, quæ postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moyſi, cum Joseph sponſo ipsius, tulit filium suum, & dominum nostrum Jesum Christum, in Hierusalem.



falem, ut sisteret cum domino, sicut scriptum est in lege domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum domino vocabitur: Et ut daret hostiam, secundum quod dictum est in lege domini, par turturum aut duos pullos columbarum.

Illa vos, vestramque temeritatem contemnit quæ, cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendit ad diem festum Hierosolymã, consummatoque festo, ut rediret remansit Jesus, ipsa ignorante, in Hierusalem quo tandem cognito, regressa est cum Joseph quærens ipsum, & in templo invento, dixit ei: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, & descendit cum ipsis Nazaret, & erat subditus illis. Luc. 2.

Illa vos fugam capere facit, ô cultores sulphuris, quæ progreditur quasi aurora consurgens valde rutilans, filia Sion, tota formosa & suavis: pulcra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata: quam qui creavit requievit in tabernaculo ejus, & dixit ei: In Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices, & sic in Sion firmata est, & in civitate sanctificata similiter requievit, in Hierusalem potestas ejus.

Illa vos fugam capere facit, quæ dum viveret viatrix fuit secundum posse moveri, non secundum posse peccare: ita enim non solum ligatus fomes fuit, sed extinctus in ipsa, quod nec levi quidem maculare mentem crimine potuit: hinc super omnes emicat sanctos: qui, si cum hic viverent, interrogari fuissent: Utrum sine peccato essent, omnes una voce respondissent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Mag. 3.  
Dist. 3.

Illa vos fugam capere facit, quæ in Chana Galileæ, ad nuptias, in quibus defecit vinum, dixit filio suo: Vinum non habent. Deinde ministris: Quodcumque dixerit vobis: facite: Et cum jussu Jesus impleissent sex hydrias lapideas aqua, ipsam in vinum convertit, quod cum gustasset Architriclinius, ait sponso: Omnis homo Jo. 4. 2.

homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

*Joan. 19.*

Illa vos ad loca vobis debita me ministro dejicit, ô corruptores bonæ mentis, quæ cum Maria Cleophæ, & Magdalenæ, juxta crucem Jesu filii sui stabat, quam cū ipse vidisset, ait illi: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo suo Joanni: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

Illa vos ad loca vobis debita, me ministro, dejicit, quæ cum debitum carnis, morte interveniente exsolvisset, assumpta est ad æthereum thalamum, in quo rex regnum stellato sedet folio: unde sicut olim à Patriarchis fuit ænigmatibus figurata, à Prophetis dictis prænunciata, & ab Evangelistis demonstrata, sic nunc in cælis ab Angelis mirificis laudibus extat colaudata.

*Actus vi-  
sæ Virg.  
Mariæ cū  
Christo  
concomi-  
tantiam  
habuere.*

Illa vos ad loca vobis debita, me ministro dejicit, quæ sicut dominus noster Jesus Christus filius ejus, advocatus est apud Patrem æternum, qui etiam interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ita mortaliura advocata sollicita est: Succurrit enim miseris, orat pro populo, intervenit pro clero, intercedit pro devoto famineo sexu, & pro toto hominum genere:

Illaque tandem vos exorcizat, ô virginittis hostes, quæ nimia confirmate cum domino nostro Jesu Christo filio ejus, in actibus vitæ suæ respenderit: Sicut enim prædestinatus fuit Christus in carne venturus, sic illa Christo carnem datura: Figuratus fuit, & prophetatus Christus, figurata fuit ipsa, & prophetata: Et nunciata si fuit incarnatio Verbi, non cuicumque virgini hoc, sed illi.

Illa vobis suis meritis contravenit, ô omnium scelerum, immundissima hospitia, in quam filius altissimi ingressus, quando descendit de cælis: & si itidem natura conceptus est in ipsa sine peccato, sic illa gratia concepta fuit sine peccato: Et sicut ille sanctus natus est, sic illa exordia sumpsit sancta.

*Illa*



Illa vos fugere decernit, ô filii perditionis, quæ nato Christo, reclinavit in præsepio: & circumciscus fuit in carne ab ipsa sumpta: Atque ipso nato, invenitur à Pastoribus, ubi etiam commoratur illa.

Illa vos, vestramque superbiam calcit, ô conversatores infidelium, cujus filius in ejus gremio à Magis fuit inventus & adoratus: in Ægypto ab ipsa delatus: & inter doctores disputans in templo inventus.

Illa vos, vestramque proterviam vincit, ô discipuli falsitatis, cui subditus erat filius in Nazaret: & ipsa annuente vinum ex aqua feceret in Chana: & patienti Christo compatiebatur.

Illa vos, vestramque temeritatem contemnit, ô Serpentes superati, quæ stabat juxta crucem, pendente in cruce Christo: ex qua cum loqueretur, & ipsi loquebatur: & cui cum lancea pectus figeretur, compassionis gladio cor ejus feriebatur.

Illa vos fugem capere facit, ô cultores sulphuris, quæ sicut mortuo Christo, corpus ejus non vidit corruptionem, sic ipse mortuæ corpus non cognovit incinerationem: Et sicut Christi corpus, à quærentibus in sepulcro non invenitur, sic defuncta ipsa ipsius quæsitum minime est repertum: atque sicut Christus resurrexit, sic & illa creditur jam consurrexisse.

Illaque tandem ad loca vobis debita, me ministro dejicit, ô corruptores bonæ mentis, quæ sicut Christi magnificentia super cælos est elevata, ita exaltata est super choros Angelorum ad cælestia regna: Et sicut ille interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: sic illa pro nobis exorat: Ille Patrem deprecatur, hæc ipsum Filium: Ille ostendit vulnera, hæc verba. Illa itaque vos exorcizat: Egoque cum illa præcipio vobis, Filii ejusdem autoritate, ut hinc discedere festinetis: & ab omni maleficio hanc creaturam Dei solutam & liberam relinquatis.

Quousque itaque tandem exhibitis? Quid moramini? Quid temerariè cogitatis? Fugite rebelles æternæ majestatis: Date locum Deo maledicti: Et exite cito

ab hac imagine sanctissimæ Trinitatis, euntes ad loca vobis à Deo parata: Loca arida, inuia, sterilia, & inhabitabilia, ubi nec creatura aliqua rationalis apparet, nec vestigia videntur. Ipsi ergo semper virgini obedite, mihi que ministro Filii ejus, qui potest vos destruere & reedificare: Et cum Patre & Spiritu sancto vivit, & regnat in secula seculorum.

### EXORCIZATIO QUINTA.

Quæ est ex gestis Domini nostri  
Jesu Christi.

¶ Stando Exorcista coram altare, Psalmum sequentem dicat.

**Q**ui habitat in adjutorio altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur. Dicit domino, susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium; & à verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus superabis. Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die à negotio perambulante in tenebris, ab incurso, & Dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis. Quoniam tu es domine spes mea, altissimū posuisti refugium tuum. Non accedat ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem. Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eū, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui &c.

Luc, 2.

¶ Versus



*¶ Versus personam obsessam se vertens Exorcista, sequentem lectionem dicat.*

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis  
Apostoli.

**F** Actum est praelium magnum in celo: Michael & Angeli ejus praeliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in celo. Et projectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui seducit universum orbem. Et projectus est in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in celo, dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qua accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte, & ipsi vicerunt eum, propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.

*Beda.*

*¶ Mann posita super vertice capitis persone obsesse, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelii.*

Lectio sancti Evangelii secundum  
Mattheum.

**D** Uctus est Jesus in desertum à spiritu ut tentaretur à Diabolo: Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei; Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens ait: Scriptum est: non in solo pane vivit homo, Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. At illi Jesus rursus: Scriptum est: non

*Matt. 4.*

G 4

rentabis

gentabis dominum Deum tuum, Iterum assumpsit eū Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Sathana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.

*¶ Immediatè Exorcista flectens genua, cum omnibus adstantibus, dicat Litanias sequentes..*

## LITANIÆ.

*Iesu Christi  
appropriata,  
& laudes.*

*De Deo  
dignè  
notabilis.*

**O** Jesu Christe eleison. *R.* Christe eleison.  
Primus, & novissimus. *R.* Mis nobis.  
Deus & homo. *R.* Prosterne illos.  
De Spiritu Sancto conceptus. *R.* Proft. il.  
Ex virgine natus. *R.* Proft. il.  
Puer nobis datus. *R.* Proft. il.  
Angelus testamenti. *R.* Proft. il.  
Propheta magnus. *R.* proft. il.  
Radix David. *R.* proft. il.  
Christe Flos de radice. *R.* Proft. il.  
Christe semen benedictionis. *R.* proft. il.  
Lignum Paradisi. *R.* proft. il.  
Fructus dulcis. *R.* proft. il.  
Vitis vera. *R.* proft. il.  
Agnus Dei. *R.* proft. il.  
Sacerdos in æternum. *R.* proft. il.  
Caput Ecclesie. *R.* proft. il.  
Medicus animarum. *R.* proft. il.  
Medicina salutaris. *R.* proft. il.  
Christe Altare Dei. *R.* proft. il.  
Christe brachium domini. *R.* proft. il.  
Dextera virtutis. *R.* proft. il.  
Fons domus domini. *R.* proft. il.  
Vena aquarum. *R.* proft. il.  
Lapis angularis. *R.* proft. il.  
Petra percussa. *R.* proft. il.



- Lux vera. R. proft. il.  
 Mons præparatus. R. proft. il.  
 Ostium ovium. R. proft. il.  
 Christe oriens ex alto. R. proft. il.  
 Christe Passer solitarius. R. proft. il.  
 Princeps pacis. R. Proft. il.  
 Serpens in ligno. R. proft. il.  
 Stella ex jacob. R. proft. il.  
 Sol justitiæ. R. proft. il.  
 Candelabrum ductile. R. proft. il.  
 Hasta fulgurans. R. Proft. il.  
 Imber temporaneus. R. proft. il.  
 Clavis David. R. proft. il.  
 Christe panis vivus. R. proft. il.  
 Christe cibus viatorum. R. proft. il.  
 Granum frumenti. R. proft. il.  
 Corona salutis. R. proft. il.  
 Objectum Angelorum. R. proft. il.  
 Lumen Patriarcharum. R. proft. il.  
 Prævisio Prophetarum. R. proft. il.  
 Norma Apostolorum. R. proft. il.  
 Illuminatio Evangelistarum. R. proft. il.  
 Palma Innocentum. R. Proft. il.  
 Christe corona Martyrum. R. proft. il.  
 Christe suffragium Confessorum. R. proft. il.  
 Contemplatio Doctorum. R. proft. il.  
 Auxilium Monachorum. R. proft. il.  
 Gaudium Eremitarum. R. proft. il.  
 Zelus Sacerdotum. R. proft. il.  
 Calor Levitarum. R. proft. il.  
 Continentia Virginum. R. proft. il.  
 Speculum Viduarum. R. proft. il.  
 Triumphus Sanctorum omnium. R. proft. il.  
 Christe finis legis. R. proft. il.

*¶ Surgens Exorcista, stando, facie conversa  
 ad altare, modo sequenti Deum exoret.*

V. Domine exaudi orationem meam.

G 5

R. Ec

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.

R. Et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.

### O R A T I O.

*De Deo  
dicta no-  
tabilia.*

**E**ja magne cunctipotens, timende, ac tremende  
Deus, qui es totus oculus, quia omnia vides; totus  
manus quia omnia operaris; & totus pes, quia ubi-  
bique es: Qui es mens infinita, & præstans quædam na-  
tura, qua nihil est melius, cujus providentia mundum  
quem condidit assidue gubernat, miserere huic crea-  
turæ tuæ, à Dæmonio vexatæ secundum magnam mi-  
sericordiam tuam. Nonne enim dominator domine  
Deus misericors es? Clemens? Patiens? Nonne mise-  
ricordia tua major est miseria ejus? Nonne hoc est plas-  
ma tuum, quod sicut lac mulsisti, & sicut caseum coa-  
gulasti; Quod pelle & carnibus vestisti, & ossibus &  
nervis compegisti? Miserere itaque imagini, & simili-  
tudini tuæ, ut confusus Diabolus, qui eam occupat,  
& omnes satellites ejus dispergantur in virtute tua, &  
cōprimant dextera fortitudinis brachii tui, & adjurati  
per virtutem magnitudinis potentia tuæ, hinc recedant,  
& cognoscant quod non est qui tuæ possit resistere  
voluntati; cui omnia superiora, media & inferiora  
dant gloriam. Vocem meam igitur audi secundum  
misericordiam tuam, & adjuva hanc creaturam tuam,  
ut liberè meditare possit in justificationibus tuis semper,  
& vota sua tibi domino reddere coram omni populo  
tuo, & in atriis domus tuæ, te valeat incessabili gra-  
tiarum actione laudare. Amen.

*¶ Sedeat hic Exorcista, & sequentia compleat.*

### EXORCISMUS.

**E**Xorcizo vos maledictos rectores tenebrarum harum per Deum Verbum, quod erat in principio, & apud Deum; & in fine temporum, manens: quod erat assumpsit quod non erat, naturam videlicet humanam in personam divinam quando caro factum est, quatenus



quatenus omnem deponentes maliciam, proterviam, & obstinationem, Deo vivo & vero, hinc discedere festinantes, obediatis, & mihi ministro ejus, vices suas in hac parte gerenti, & ita præcipienti. N. Damna te atque damnande princeps? Scriptum est; Non tentabis Dominum Deum tuum. Vade retro itaque, & exi ab hac psalmate Dei; vade retrò, & si quæ sunt maleficia destruenda, & ex hoc corpore mittenda dimitte. Vos quoque alii spiritus maligni, cujuscumque gradus & conditionis existatis, quid contra Deum stare præsumitis? Durum vobis est contra stimulum calcitrare: Quam namque contemnitis, timere debetis, Scriptum est enim Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies. *Deut. 6.*

Exorcizo vos per mysterium propheticum verborum Moisi dicentis, dominum Abrahamæ dixisse; in semine tuo benedicentur omnes gentes: Quibus progeniæ corporalem verbi incarnandi nunciavit. Sed & per eandem Patriarcharum, Regum, & Ducum progeniem illustrissimam, de qua Evangelistæ loquuntur in libro generationis ejusdem. *Prophetia omnium actuum vite & mortis Iesu Christi.*

Exorcizo vos per mysterium propheticum verborum Amos dicentis; Non faciet dominus verbum, quin prius loquatur ad prophetas suos, Quibus verbum in carne nascendum prius nunciandum esse dixit. Sed & per eandem annunciationem per Angelum Mariæ virgini factam, in Nazaret civitate Galileæ *Amos. 3.*

Præcipio vobis, ut fugiatis per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis: Ecce virgo concipiet & pariet filium: Quibus Jesu Christi virginem matrem prænunciavit. Sed & per eandem virginem matrem, virtute altissimi in conceptu obumbratam. *Isa. 7.*

Præcipio vobis per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis; Cognovit bos possessorem suum, & asin<sup>o</sup> præsepe domini sui: Quibus præsepe in quo Christus nasciturus erat, nunciavit. Sed & per eandem locum, in quo Christus in sua nativitate fuit reclinatus. *Isa. 1.*

Præcipio

*Gen. 17.*

Præcipio vobis per mysterium Propheticum referatum Abrahæ Patriarchæ his verbis ; Omne, masculinum circumciderur in vobis : Quibus circūcisio Christi ostensa fuit. Sed & per ejus circumcisionem, post consummationem octo dierum in carne præputiis sui receptam.

*Psal. 71.*

Aufero à vobis omnem potestatem in hanc creaturam Dei etiam commorandi per mysterium propheticum verborum David dicentis ; Reges Tarsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent : Quibus Christus à gentibus adorandus nunciatus fuit. Sed & per ipsam, in tribus Regibus, adorationem, & reverentiam, auro, thure, & mirra protectaram.

*Mal. 3.*

Aufero à vobis omnem potestatem per mysterium propheticum verborum Malachiæ dicentis : Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis : Quibus præsentationem Christi in templo nunciavit. Sed & per eandem præsentationem, quam mater ejus fecit in templo ut sisteret eum domino.

*Psal. 81.*

Aufero à vobis omnem potestatem per mysterium propheticum verborum David dicentis ; Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat : Quibus disputationem fecit Christus in medio Doctorum nunciavit. Sed & per ipsam disputationem, in qua stupebant omnes & mirabantur super prudentia & responsis ejus.

*Ex. 36.*

Debilito vos per mysterium propheticum verborum Ezechielis dicentis ; Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ; & dabo vobis spiritum novum : Quibus baptismum instituendum à Christo nunciavit. Sed & per ipsum sanctum baptismum quo nisi quis renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei.

*Psal. 34.*

Debilito vos per mysterium propheticum verborum David dicentis ; Operui in jejunio animam meam : Quibus jejunium Christi nunciavit. Sed & per ipsum sanctum



sanctum Jejunium, in deserto, quadraginta diebus & quadraginta noctibus consecratum.

Debilito vos per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis : Spiritus domini super me, evangelizare peccatoribus misit me, Quibus discipulos Christi pauperes esse debere nunciavit *Isa. 61.*

Sed & per eosdem discipulos domini volo vos ab hac creatura Dei fugere per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis : Aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum : Quibus Christum miracula facturum esse nunciavit. Sed & per ipsa miracula omnia, potenti virtute ab ipso demonstrata. *Isa. 25.*

Volo vos fugere per mysterium propheticum verborum Danielis dicentis : Suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur. Quibus statum ecclesiasticum à Christo instituendum nunciavit. Sed & per eundem statum in quo gens sancta est, genus electum, regale Sacerdotium & populus acquisitionis. *Dan. 2.*

Volo vos fugere per mysterium propheticum verborum Job dicentis : Insidiati sunt, & prævaluerunt mihi : Quibus insidiosas persecutiones judaici populi contra Christum machinandas nunciavit. Sed & per ipsas insidias pro nobis ab ipso toleratas, *Job. 30.*

Casso consilia vestra per mysterium propheticum verborum David dicentis ; Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus dominum, & adversus Christum ejus : Quibus consilium contra Christum colligendum nunciavit. Sed & per ipsum consilium, in quo determinatum fuit, ut ipse moreretur, ne tota gens periret. *Psal. 2.*

Casso consilio vestra per mysterium propheticum, verborum David dicentis ; Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem : Quibus tradendum Christum fore nunciavit. Sed & per prodicionem ipsam à Iuda ejus discipulo operatam, quam propter nostram salutem pertulit. *Psal. 54.*

Casso



*Luc. 11.*

Casso consilia vestra per mysterium propheticum verborum Zachariæ dicentis; Appenderunt mercedem meam triginta argenteis: Quibus vendendum esse dominum nostrum Iesum Christum nunciavit. Sed & per eandem venditionem, qua redempti sumus

*Isa. 53.*

Confringo vos, vestrasq; determinationes per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis; Oblatus est, quia ipse voluit: Quibus sponte mori Christum nunciavit. Sed & per eundem spontaneam sui ipsius pro nobis ad mortem præsentationem.

*Psal. 58.*

Confringo vos per mysterium propheticum verborum David dicentis; Cœperunt animam meam, irruerunt in me fortes: Quibus Christum à ministris capi debere nunciavit. Sed & per eandem capturam, qua nos à vinculis peccatorum nostrorum solutos dimisit.

*Mich. 5.*

Confringo vos per mysterium propheticum verborum Micheæ dicentis; Percutient maxillam iudicis Israel: Quibus dominum nostrum Iesum Christum colaphizandum futurum fuisse nunciavit, sed & per eandem colaphizationem ab uno ministrorum implementam quia nos ab æterna percussione redemit.

*Isa. 50.*

Decerno vos ab hac creatura Dei fugere per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis; Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me: Quibus faciei Christi, post velationem, offensionem nunciavit. Sed & per eandem faciei eius offensam, qua signavit super nos lumen gloriæ divinatæ suæ.

*Psal. 62.*

Decerno vos fugere per mysterium propheticum verborum David dicentis; Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Quibus flagellationem Christi nunciavit. Sed & per eandem flagellationem qua à planta pedis usque ad verticem capitis infirmatus fuit.

*Isa. 22.*

Decerno vos fugere per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis; Coronans coronabit te tribulatione. Quibus spinis coronandum esse Christum nunciavit. Sed & per eandem, qua coronavit nos gloria & honore.

Præcipio

Præcipio vobis ut fugiatis per mysterium propheti-  
cum verborum David dicentis ; Captabunt in animam  
justi, & sanguinem innocentem condemnabunt : Qui-  
bus Christum ad mortē crucis judicandum nunciavit.  
Sed & per eandem condemnationem, qua nos à supplicio  
infernī absoluti fuimus.

*Psal. 93.*

Præcipio vobis per mysterium propheticum verbo-  
rum Micheæ dicentis ; Vadam spoliatus & nudus :  
Quibus Christum pro crucifixione spoliandum futurū  
fuisse nunciavit. Sed & per eandem spoliationem, qua  
nos vestiti sumus in præsentī gratia, & in futura glo-  
ria.

*Mich. 1.*

Præcipio vobis per mysterium propheticum verbo-  
rum Job dicentis. Eligit suspendium anima mea, &  
mortem ossa mea : Quibus Christum in ligno crucis  
suspendendum nunciavit, Sed & per eandem suspensio-  
nem in ligno, qua qui in ligno vincebat, in ligno quoq;  
victus fuit.

*Job. 7.*

Aufero à vobis omnem potestatem morandi in cor-  
pore hujus, per mysterium propheticum verborum  
David dicentis ; Foderunt manus meas & pedes meos :  
dinumeraverunt omnia ossa mea : Quibus pedum &  
manuum Christi vulnerationem nunciavit. Sed & per  
eandem vulnerationem, qua medelam vulneribus no-  
stri cordis attulit.

*Psal. 21.*

Aufero à vobis omnem potestatem per mysterium  
propheticum verborum Isaïæ dicentis ; Ipse peccata  
multorum tulit, & pro transgressoribus oravit : Quibus  
Christum pro transgressoribus Patrem oraturum nun-  
ciavit. Sed & per eandem orationem, qua nos docuit  
pro inimicis orare.

*Isa. 53.*

Aufero à vobis omnem potestatem per mysterium  
propheticum verborum David dicentis ; Deus, meus  
respice in me, quare me dereliquisti ? Quibus Christum  
veritatem carnis in cruce declaraturum esse nunciavit,  
Sed & per illa verba ejus mysterium adimplentis, cum  
diceret ; Eloi, Eloi lamazabatani.

*Psal. 22.*

Debilito vos per mysteriū propheticum verborum  
David

*Mat. 27.*



*Pfal.* 121. David dicentis; Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto: Quibus amaram potationem Christo propinandam nunciavit. Sed & per eandem potationem, quam cum gustasset noluit.

*Isa.* 53. Debilito vos per mysterium propheticum verborum Isaia dicentis; Tradidit animam suam: Quibus Christum mortam nostram, morte sua destruere debere nunciavit. Sed & per eandem preciosissimam mortem, qua nos vita immortalis fecit vivere.

*Isa.* 53. Debilito vos per mysterium propheticum Isaia dicentis; In dilectione sua, & indulgentia sua redimet eos: Quibus per Christi mortem, remissionem peccatorum operationem nunciavit. Sed & per eandem redemptionem, qua nos de faucibus inferi abstulit.

Volo vos fugere per mysterium propheticum verborum Job dicentis; concidit me vulnere, irruit in me quasi gigas: Quibus Christi pectus lancea vulnerandū esse nunciavit. Sed & per idem vulnus, sex quo inæstimabilem cordis sui charitatis ardorem apertissime manifestavit.

*Zac.* 9. Volo vos fugere per mysterium propheticum verborum Zacharia dicentis; Tu in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua: Quibus liberationem sanctorum Patrum à limbo per Christum faciendam nunciavit. Sed & per eandem patrum liberationem & limbi spoliationem.

*Abac.* 3. Volo vos fugere per mysterium propheticum verborum Abacuc dicentis; Percussisti caput de domo impii; Quibus victoriam contra Diabolum à Christo reportatam nunciavit. Sed & per eandem victoriam, qua nos triumphatores in gloria constituit.

*Deut.* 21. Casso consilia vestra per mysterium propheticum verborum Moysi dicentis; Suspensus in periculo eodem die sepelietur: Quibus Christi sepulturam, qua corporis Christi corruptionem non vidit, præmonstravit. Sed & per idem sepulcrum qui nos de carcere inferni servavit.

*Pfal.* 15.  
*Pfal.* 46.

Casso consilia vestra per mysterium propheticum verborum

borum David dicentis: Non derelinquens animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: Quibus gloriosam resurrectionem Christi nunciavit Sed & per eandem resurrectionem, qua nobis resurgendi firmam fidem fecit.

Casso consilia vestra per mysterium propheticum verborum David dicentis: Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ: Quibus mirabilem Christi ad cælos ascensionem nunciavit. Sed per eandem ascensionem, qua nostræ beatitudinis spem corroboravit. *Psal. 109.*

Confringo vos per mysterium propheticum verborum David dicentis: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Quibus Christum ad dexteram Patris sessurum esse nunciavit. Sed per eandem sessionem, qua sedet ad dexteram majestatis in excelsis.

Confringo vos per mysterium propheticum verborum Johelis dicentis: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: Quibus spiritum Sanctum à Christo mittendum super apostolos nunciavit. Sed & per eandem missionem, qua & mirabilia audivit & divina universa terra cognovit. *Iobe. 2.*

Confringo vos per mysterium propheticum verborum Isaïæ dicentis: Dominus ad judicandum venies cū senioribus: Quibus Christum judicem universi, in fine sæculi venturum nunciavit. Sed & per justum judicium ejus, quo reddet unicuique secundum opera sua. *Isa. 3.*

Atque tandem Exorcizo vos, ut Deo obediatis: præcipio vobis ut fugiatis: aufero à vobis omnem potestatem in hanc creaturam Dei, etiã commorandi: debilito vos: volo vos fugere: casso consilia vestra: & confringo vos, viresque vestras, ac maleficia omnia per omnia simul propheticum mysterio de Christo præmonstrata.

Sed & per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui in progenie fuit Isaac ex Abraham, figuratus: in Samsonem, nunciatus: in lapide exciso de monte sine manibus, conceptus: in Moyse in fiscella misso, in præsepe positus: in Isaac, circumcisus: Joseph, adoratus: *Christi.*

H

in Sa-

*Figura omnium vitæ & mortis sensu Christi.*



in Samuele, in templo presentatus: in Salomone, in templo disputans inventus, in Naamam, baptizatus: in Moyse, jejuniis maceratus: in Eliseo, in electione discipulorum monstratus: in Elia, miraculosus: in Abraham, qui crevit in gentem magnam, ecclesie institutor: in Daniele, insidias passus: in Jeremia, consilio circumventus: in Amasa, traditus: in Joseph, venditus: in Juda Machabeo, sponte morti oblati: in Tobia, captus: in Michæa, colaphizatus: in Aman, facie velatus: in Jeremia, flagellatus, in Ariete ab Abraham sacrificato, spinis coronatus: in Aman, ad crucem condemnatus: in Jeremia, spoliatus: in Serpente, in ligno exaltatus: in Achab Rege, crucifixione vulneratus: in Moyse, pro sibi molestis orator: in Booz acetopotatus: in Abel, occisus & mortuus: in Moyse veniam pro populo, obrinente, redemptor: in Adam, latere vulneratus: in David liberatore Amalechitarum, liberator Patrum, & spoliator Limbi: in Josue, qui cepit Regem Jericho, Diaboli victor: in Josia, cum fletu sepultus: in Samsone, resuscitans: in Elia, in cælum ascendens: in Salomone in solio Patris sui sedente, ad dexteram Patris sedens: in Nube totam terram replente, sancti Spiritus dator: Atque in Daniele, judex est venturus judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem, quando reddet unicuique secundum opera sua.

*Ms. 7.*

Procul itaque, procul hinc estote profani spiritus: hinc discedite sine læsione istius creaturæ Dei, vel alterius, & abite in locum vobis à Deo paratum: Præcipio namque vobis in nomine Dei vivi, & veri per omnia sæcula prædicta. Quid itaque? Quid moramini Dei audito nomine. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Sed nunquid ipsi resistere poteritis? Et ejus auctoritati, mihi in hac parte commissæ? Ipse est enim, qui eadem auctoritate, docet manus meas ad prælium, & posuit ut arcum arcuum brachia mea: In ejus itaque nomine persequar semper vos inimicos meos, & comprehendam, & non coveitabo donec



donec deficiatis : Confringam vos, nec poteritis stare, cadetis subtus pedes meos : comminuam vos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo vos, ut sit vobis interitus sempiternus, & Deo honor & gloria, in sæcula sæculorum.

## EXORCIZATIO SEXTA.

Quæ est ex institutis Ven. Sacramentorum.

*¶ Stando Exorcista coram altare Psalmum sequentem dicat.*

**I**ncлина Domine aurem tuam mihi, & exaudi me : *Psal. 121*  
 quoniam inops & pauper sum ego. Custodi animam  
 meam quoniam sanctus sum : saluum fac servum  
 tuum Deus meus sperantem in te. Miserere mei Do-  
 mine, quoniam ad te clamavi tota die : latifica animam  
 servi tui, quoniam ad te Domine animam meam le-  
 vi. Quoniam tu Domine suavis & mitis : & multæ mi-  
 sericordiæ omnibus invocantibus te. Auribus percipe  
 orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.  
 In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudisti  
 me. Non est similis tui in diis Domine : & non est secun-  
 dum opera tua. Omnes gentes quascumque fecisti ve-  
 nient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt  
 nomen tuum. Quoniam magnus es tu & faciens mi-  
 rabilia : tu es Deus solus. Deduc me Domine in via  
 tua, & ingrediar in veritate tua : letetur cor meum, ut  
 timeat nomen tuum. Confidebor tibi Domine Deus  
 meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum  
 in æternum. Quia misericordia tua magna est super  
 me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Deus  
 iniqui insurrexerunt super me, synagoga potentium  
 quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in  
 conspectu suo. Et tu Domine Deus miserator & mise-  
 ricors : patiens & multæ misericordiæ & verax. Respice  
 in me, & miserere mei, & da imperium tuum puero tuo,  
 saluum fac filium ancillæ. Fac mecum signum in bonis

ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Gloria Patri, &c.

*¶ Versus personam obsessam vertens se Exorcista, sequentem dicat lectionem.*

Lectio Actuum Apostolorum.

Cap. 5.

**P**Er manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat conjungere se illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: Ita ut in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis: ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus inmundis, qui curabantur omnes.

*¶ Manu super vertice capitis obsessæ personæ posita, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelii.*

Lectio Sancti Evangelii Secundum Lucam.

Cap. 13.

**E**Rat Jesus docens in Synagoga Sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem Archisynagogus, quia sabbatis curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite & curamini, & non in die Sabbati. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abraham, quam alligavit



ligavit Sathanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescerant omnes adversarii ejus & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriosè fiebant ab eo.

*¶ Flectens Exorcista immediate genua, cum omnibus astantibus, dicat Litanias sequentes.*

## LITANIÆ.

**K**Yrie eleison. R. Kyrie eleison.  
 Christe eleison. R. Christe eleison.  
 Kyrie eleison. R. Kyrie eleison.  
 Pater creator spirituum. R. Mis. nob.  
 Fili increate spiritus. R. Miserere nob.  
 Spiritus Sancte creator. R. Mis. nob.  
 Sancta Trinitas unus Deus. R. Mis. nob.  
 Deus, qui es charitas. R. Tormenta illos.  
 Qui conservas ignoscendo. R. Tor. il.  
 Qui es dator munerum. R. Torm. il.  
 Qui dona infundis charitatis. R. Tor. il.  
 Qui es multum longanimis. R. Tor. il.  
 Qui sanas contritos corde. R. Tor. il.  
 Qui erigis elisos. R. Tor. il.  
 Qui cœrces, quos emendas. R. Tor. il.  
 Qui cor mundum creas. R. Tor. il.  
 Qui flammam mitigas. R. Tor. il.  
 Qui gentium consilia dissipas. R. Tor. il.  
 Qui aquam de petra duxisti. R. Tor. il.  
 Qui Patres mare transtulisti. R. Tor. il.  
 Qui homini præmia præstitisti. R. Tor. il.  
 Qui esurientes bonis repleas. R. Tor. il.  
 Qui Sancto Suggestu doces. R. Torm. il.  
 Qui sapientia mundum condidisti. R. Tor. il.  
 Qui perditum hominem reformasti. R. Tor. il.  
 Qui in confessione tui gentes adunasti. R. Tor. il.  
 Qui fidei corde tuam legem scripsisti. R. Tor. il.  
 Qui fideles unius efficis mentis. R. Tor. il.  
 Qui nos sacramentis renovas. R. Tor. il.  
 Qui quæris cordis sacrificium. R. Tor. il.

*Notabilia  
 multa de  
 Deo.*

Qui nos divinis gaudere tribuis. R. Tor. il.  
 Qui in altum regrederis. R. Tor. il.  
 Qui vivo lapide tibi domum paras. R. Tor. il.  
 Qui tuam Ecclesiam fecundas. R. Tor. il.  
 Qui & visibiliter potentiam ostendis. R. Tor. il.  
 Qui mentibus, mederis. R. Torm. il.  
 Qui scis non virtute nostra gloriari. R. Tor. il.  
 Qui omni nos virtute scis destitui. R. Tor. il.  
 Quis scis in periculis non posse nos subsistere. R. Tor. il.  
 Qui nos afflictos nosciscis. R. Tor. il.  
 Qui das aufersque omnia. Tor. il.  
 Qui in te sperantes non nimis finis concuti. R. Tor. il.  
 Qui nos deducis, & reductis. R. Tor. il.  
 Qui es in omni dispositione mirabilis. R. Tor. il.  
 Qui afflictione tuorum non lætaris. Tor. il.  
 Qui nos humilias & sublevas. R. Tor. il.  
 Qui peccatorum non vis mortem. R. Tor. il.  
 Qui nos si mortificas, vivificas. R. Tor. il.

*¶ Surgens Exorcista, facie ad altare conversa, modo sequenti Deum exoret.*

Vers. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. In convertendum inimicum meum retrorsum.

R. Infirmabuntur & peribunt à facie tua.

## LITANIÆ.

**P**otentissime, sapientissime, & optime sempiternæ  
 Deus, sub cuius nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, & cui nunquam sine spe misericordiæ supplicantur, qui nos fide, favilla fulgoris æterni, instruis: & charitate, ardoris cœlestis flamma, perficis: fide illuminas, charitate accendis: fide ligas, charitate stringis: fide vivificas, charitate sanctificas: fide discipulos facis, charitate amicos: fide credere, charitate adorare: fide timere, charitate amare: fideq; cives sanctorum in terra, charitate autem domesticos Dei in cœlo: fiant quæso propter fidem nostram, & charitate tua, benignissime aures



EXORCIZATIONES.

tuz auscultantes, & oculi tui quæso aperti sint, ut audias orationem servi tui, & propitius esto sorti huic, & funiculo hæreditatis tuæ, ab immundis istis apostaticisq; spiritibus jam in ludibrium facto: His enim tua virtute despecta, spreverunt quoque ministerii nostri mandata, auctoritatem tuam contempserunt, factisque reverentissimis illuserunt: Sed tu pater noster pietissime, tremendeque, cunctipotens, converte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem omnium inimicorum eorum, humilia eos usque ad terram, cadant super eos carbones, in ignem dejice eos, mala capiant in interitu, & multiplicetur in eis ruina, ut cognoscant, quia nomen tibi Deus, & reverentiam ministerio nostro præstent: Et ut notam facias aliis hominib; potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui: hinc eos discedere iube festinos, cogeque, compelle: tunc enim nos, hiis ascensoribus in mare projectis, cum curribus, & equitibus omnis ipsorum virtutis, tibi gloriôsè cantabimus, per singulos dies nomen tuum laudabimus, eidemq; sancto benedicemus in seculum, & in seculum seculi: Magnificentiam gloriôsæ sanctitatis tuæ loquemus, & mirabilia tua prædicabimus: Virtutem terribilium tuorum dicemus, & magnitudinem tuam narrabimus: Cui sit semper honor & gloria: Amen.

*J. Sedens Exorcista, sequentia compleat.*

EXORCISMUS.

**E**Xorcizo vos nequissimos Latrones, qui Hominem ab Hierusalem in Hiericho descendentem despoliastis, vulnerastis, & in via semivivū reliquistis, per piissimum Samaritanum Dominum nostrum Jesum Christum, qui miserationis affectu compatiens, appropians ligavit vulnera ejus, infudit oleum & vinum, imposit in jumentū suum, duxit in stabulum, duos denarios pro eo dedit stabulario, supereroganda reddere promissit, sicque medicinam, Sanctorum Sacramentorum institutione, attulit efficacem, qua curatis ipsius culpe vulneribus, in suum principium finaliter ducere

retur : ne temerariè amplius in hanc facturam Dei moram trahere præsumatis, sed illicò discedatis, & ad loca vobis debita confugiatis, cum omni maleficio cuiuscumq; generis, à quocumq; excogitato, quomodo-cumq; composito, qualitercumq; sumministrato, ubicumq; reposito, quibuscumque vallato, quantumcumq; efficaci, & cuicumque ordinato, per salutiferam eorundem sanctorum Sacramentorum ordinationem.

*Aug. 19.  
contra  
Faussum  
Instituto  
sacramen-  
torum con-  
ueniens  
fuit.*

Exorcizo vos per convenientem Sanctorum Sacramentorum Institutionem, sine qua in nullum religionis nomen, homines coadunari possunt: etenim sine aliquo signaculorum, seu Sacramentorum sensibilibus consortio, ad salutem æternam, in unum veræ religionis nomen facile colligi non possunt: sicut enim homo cum in honore esset, non intellexit, sed peccando comparatus est jumentis insipientibus, seq; subdit per affectum corporalibus rebus, sic medicinale remedium pro peccato, corporalibus signis adhibendum esse congruentissimum fuerat.

*Diverſo  
tempore  
diverſa  
sacramen-  
ta fuerunt.  
Vgo de S.  
Vult.*

Exorcizo vos per diversorum statuum Legis naturæ scriptæ, & gratiæ, humani generis lapsi Sacramenta diversa, quorum quæ in lege naturæ extiterunt: Oblationes, Sacrificia, & Decimationes: sicut umbra fuerunt: quæ autem in lege scriptæ, s. Circumcisio, & Expiatio, & aliorum Sacrificiorum & oblationum multimoda variatio: sicut figura: Atq; illa quæ in lege gratiæ, s. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Unctio extrema: sicut perfectissimum complementum sunt in se veritatem continens, quam significat.

*Conformia  
sunt sacra-  
menta an-  
tiquæ, &  
novæ legis.*

Conjuro vos per omnium Sacramentorum in aliquo convenientiam: & institutionem in sensibilibus: in primis propter quam maxime effectus divinæ providentiæ relucet: Decebat enim ut corrupto homini, cujus cognitio ortum habet à sensu, Deum benedictum, quem attingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suaviter palam est, Sacramenta in sensibilibus, omni statu proponere, ut in hac omnia convenirent: sicut &



sicut & in significatione gratiæ; in concursu cum morbo; atque in hominis curatione.

Conjuro vos per omnium Sanctorum Sacramentorum antiquæ, & novæ legis differentiam, quæ sit hæc. quæ novæ legis sunt, dum conficiuntur, & applicantur, significare & causare gratiam, cum virtutem effectricem habeant, illa autem quæ sunt antiquæ, significare tantum; præparaverunt illa, & perduxerunt ad hæc; hæc autem conferunt, quod illa de longinquo monstrarunt; illa instituta erant pro tantum brevi tempore duratura, hæc usque in seculi finem perpetuò permanfura; fueruntq; hæc, illis relata, numero pauciora, utilitate potiore, virtute efficaciora, præminencia digniora, atque significatione evidentiora.

*Differunt inter se sacramenta antiqua, et nova legis.*

Conjuro vos per aptitudinem significandi sacramentorum novæ legis, ex naturali similitudine; per ordinem determinatum respectu alicujus significati, ex actuali institutione; atque per virtutem efficiendi illud quod significant, ex spirituali sanctificatione: Propter quæ verè sacramentum materiale elementum esse dicitur, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine representans, ex sanctificatione aliquam gratiam invisibilem conferens. Vel, invisibilis gratiæ visibilem formam, ad cultum Dei ordinatum, ejusdem imaginem gerens, & causa existens.

*Quid sit Sacramentum legis.*

Constringo vos per principalem causam sacramentorum Deum omnipotentem; cui injusti justificatio, quæ est interior effectus sacramentorum, competit; illius enim causatio sacramentorum est, cujus est sanctificatio mentium dare; sanctificare autem, hominūq; mentem sacrare, Deo sacratissimo convenit, imparticipata sanctitate Sanctissimo, dicente Apostolo; Deus qui justificat; Quis est qui condemnet? & Isaia; Ego Dominus sanctifico vos.

*Principalis Sacramentorum causa Deus est.*

Constringo vos per meritoriam causam Sacramentorum, Dominum Nostrium Jesum Christum, cujus humanitas tanquam instrumentum conjunctum refertur ad Deū, quapropter virtutem salutiferam, sacramentalis est.

*Causa meritoria Sacramentorum Christus passus est.*

talem gratiam, à Christi divinitate per ejus passam humanitatem, in Sacramenta progredi necesse est, ipse est enim testamenti Angelus, qui secundum tempus descendit in piscinā humanitatis suæ, ut sanguis ejus, & aqua per passionem commotis, virtutem talem Sacramentis acquireret, quod descendentes in piscinam meriti ejus per Sacramentorum susceptionem, salvi fierent à quacumq; peccatorum detinerentur infirmitate.

*Efficaciā  
habent  
Sacramen-  
ta à passio-  
ne Christi,  
Rom. 3.*

Constringo vos per efficaciam Sacramentorum quam habent à passione domini nostri Jesu Christi, cujus virtus nobis per Sacramenta applicatur; In cujus certissimæ veritatis significativum testimoniū de latere crucifixi domini nostri sanguis & aqua fluxerūt, quapropter Deum propitiatorem omnium gratis esse, per gratiam ipsius quæ est in Christo Jesu, quæ posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentationem Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi, ut testatur Paulus.

*Potestas  
excellentiæ  
est in Chris-  
to.*

Impero vobis, sicut per potestatem autoritatis, in quantum Deus, ita excellentiæ ministerii, in quantum homo, quam habet dominus noster Jesus Christus in Sacramentis; cum meritum passionis ejus operetur in illis, & nobis per fidem Christi in Sacramentis protestatam copuletur; cum in ejus nomine Sacramenta sanctificentur, & conferantur; cum possit ipse illa instituire, virtutemq; infundere; atq; sine exteriori Sacramento, effectum sanctificationis (ut decet) causare; causā enī ab effectu pendere non expedit, sed effectum à causa, ideo sine Sacramentis, quæ suæ sunt institutionis affectus, mundare quis valet, virtutis suæ justificationis, infectus.

*Institutio  
Sacra-  
mentorum  
novæ legis  
convenie-  
bat Chri-  
sto.*

Impero vobis, per congruentiam illam, qua decuit Dominum Jesum Christum Sacramenta ordinare; conveniens enim fuit ut ille qui erat divinæ paternæ conscius voluntatis, Sacramenta gratiæ institueret, sicut novæ legis gratiæ lator erat; Christus namq; summa bonitas, de summa bonitate manans, summa veritas, de summa veritate



veritate pullulans, summaq; virtus, de summa Patris virtute copiosissime effluens; propter suam bonitate beatificancia premia promisit, propter suam veritatem adjuvantia Sacramenta instituit, & propter suam virtute adimplentem precepta in nobis virtutem reparavit.

Impero vobis per omnium Sacramentorum materiam, qua Sacramenta parantur, determinabilem quo ad significationem per verba, vel signa; sive per Sacramentorum elementum, ex institutione divina determinatum, ad quod cum accedit verbum, fit Sacramentum, & rem sacramenti simul, quæ in rite circumstantionata administratione sive applicatione & susceptione sacramenti confertur, ut de plenitudine Iesu Christi Domini nostri omnes accipiamus.

*Materialis causa Sacramentorum. Aug. super Ioh.*

Conjuro iterum vos per omnium sacramentorum formam: quæ sacris verbis deducta, auribus hauritur, & voluntate ac promissione Dei nos docet, & ita cum elementis & evidentiam significandi habent, & efficaciam sanctificandi, quia dum auribus & oculis, qui duo sensus sunt maxime cognoscitivi, verba & elementa offerunt, dant significationibus evidentiam; eminent autem in elementis verba dum hæc illa sanctificant, ut sit copiosior humanæ curationis virtus.

*Forma Sacramentorum est verbum.*

Conjuro quoque vos per finem sanctæ institutionis Sacramentorum, qui secundum beneplacitum instituentis fuit hominem humiliare etiam elementis sibi inferiorioribus quæreret salutem; fuit hominem exercere sacramentorum frequentatione, ne in foro staret tota die ociosus: fuit hominem erudire ex sensibilibus contemplatione ut ex visibilibus invisibilia perciperet; fuitq; perinde hominem spiritu sanare ex medicinæ applicatione, ut quod foris specie corporali cerneret, intus se curari à morbis malis crederet, ut tandem purus ad gaudia cælestis Hierusalem conscenderet.

*Finis institutionis Sacramentorum est multiplex. Mag. ser. lib. 4. Distin. 1.*

Conjuro etiam vos per omnium sacramentorum diversitatem, secundum quam quædam sunt antiquæ legis, quædam verò novæ; quædam imprimunt characterem, & sunt in reiterabilia, Baptismus scilicet, Confirmatio,

*Diversificantur inter se Sacramenta.*

& Ordo

& Ordo sacer : quædam autem non imprimunt characterem, & reiterabilia sunt, Pœnitentia scilicet, Eucharistia, Matrimonium, & Unctio extrema ; Quædam quoq; sunt, quæ non necessario ad hominis salutem requiruntur, sed cuicumque ea velle, vel nolle suscipere liberè adjacet, scilicet Sacer ordo, & Matrimonium; sed alia tandem necessario ad hominis salutem, ut suscipiantur proponuntur, scilicet Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharista, & extrema unctio.

*Figurata  
fuerunt  
nova legis  
Sacramen-  
ta.*

*Num. 8.*

*4. Reg. 5.*

*Zach. 3.*

*Apoc. 1.*

*3. 5. 8.*

Confringo iterum vos per mysterium septem Lucernarum Tabernaculi, candelabro aureo in Australi parte erigendo, superpositarum ; & septem lotionum Naaman leprosi principis militiæ Regis Syriæ ; per mysterium septem oculorum super unum lapidem cujus sculptura cælanda erat, sicut dixerat dominus exercituum, quando auferenda erat iniquitas terræ illius in die una ; & septem stellarum, quas similis filio hominis in manu sua habebat ; per mysterium septem tubarum, quib; solvebatur clangor ; & septem sigillorum, quibus liber scriptus intus, & foris signatus erat : in quibus omnibus septem novæ legis sacramenta figurata fuerunt.

*Quando  
Christus  
Sacramen-  
ta insti-  
tuit.*

Constringo quoq; vos per virtutem statuti determinationis Domini, secundum quam mittens Apostolos in universum mundū, baptizantes in salutem ; præcipiens illos in civitate sedere, donec induerentur virtute ex alto ; mandans in cæna gesta, in sui facere commemorationem ; volens cum accepissent spiritū sanctū, ipsos remittere peccata : emittens eosdē ad prædicandum, dum oleo ungerent in nomine Domini ; eligēdo duodecim, quos & Apostolos nominavit, & alios septuaginta duos designando ; atq; , affirmando illos nō esse ab hominibus separando quos Deus conjunxisset : Baptismum, confirmationem, Eucharistiā, Pœnitentiam, Unctionē extremā, Ordinē, & matrimoniū instituit.

Constringo etiam vos per principalem effectum omnium Sacramentorum, qui gratia est, in Sacramentis novæ legis, ut in signo, & in causa instrumentali. secundum



cundum quandam virtutem fluentem recondita; quæ ex opere operato, propter pactum & ordinationem divinam, virtutemque Sacramentis inhaerentem conferitur: contraria non existens gratum facienti gratiæ, etsi Sacramentalis dicatur, imò nec habitus distinctus ab illa; perficit tamen illam in habente ipsam, & auget quo ad effectus communes, qui sunt gratum facere, perficereque potentias virtutibus & donis ad diversos actus ordinatis, atque potentias ipsas specialibus effectibus refert, ex participatione virtutis Dominicæ passionis.

*Effectus principalis & communis Sacramentorum quis sit.*

Impero iterum vobis per effectum proprium cuiuscumque Sacramenti, quo rationalis anima diversimodè illustratur; in Baptismo enim spiritus Sancti gratia, ab Originali & actualibus criminibus mundatur; in Confirmatione autem, robore cælesti, in bono conservatur: Sed in Eucharistia, spiritali refectione, corpori Christi mystico incorporatur, In Pœnitentia verò, remissione actualium peccatorum, post Baptismum commissorū, plenè justificatur; ac in Ordine sacro, debita executione suscepti officii, ad futuram vitam preparatur, sicut & in Matrimonio, conjunctione animorum mutua, ad susceptionem educationemque prolis, & fornicationem vitandam erudita, confortatur: quemadmodum in extrema unctione, ad venialium peccatorum purgationem virtus altissimi præstatur.

*Effectus proprius cuiuscumque Sacramenti qualis sit.*

Impero quoque vobis per duplex dispositivum ad Sacramentalem gratiam, quorum unum in Baptismo, Confirmatione, & Ordine sacro, Character est: Et aliud in Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonio, Unctione extrema, est Ornatus; Character autem in Baptismo, fidei genitrix est, in Confirmatione, fidei roborata: ac in Ordine fidei multiplicata: ideo in Baptismo incipientium, Confirmatione proficientium, & in Ordine perfectorum dicitur: per primum fideles ab infidelibus, per secundum fortes ab infirmis, & per tertium clerici a laicis distinguuntur: Ornat⁹ verò in Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonio & Unctione extrema, Sacramentorū non est,

*Character & Ornatus Sacramentorum qualia sint.*

non est, neque res est Sacramenti tantum, sed cum Charactere, Sacramentum censetur, quia gratiam gratum facientem significat, & res Sacramenti, quia ejus est effectus.

Impero vobis etiam per quorumcūq; Sacramentorum rationem includendi bona, & excludendi mala, secundum quam Baptismus, Fidei dicitur inductivus, Confirmatio Spei, Eucharistia Charitatis, Pœnitentia Justitiæ, Ordo Prudentiæ, Matrimonium Temperantiæ, & Unctio extrema Fortitudinis; quemadmodum Baptismus peccati originalis est ablativus, Confirmatio impotentia, Eucharistia malitiæ, Pœnitentia peccati actualis, Ordo ignorantia, Matrimonium concupiscentia, & Unctio extrema peccati venialis: sicq; omne bonum virtutis theologicæ & Cardinalis adducit, atque omne malum quorumcumq; viciorum abducit.

*Baptismi  
distinctio.  
& testimo-  
nia. Tit. 3.  
Ez. cc. 36.*

*Joan. 3.*

*Ephe. 5.*

*Confirma-  
tionis disti-  
nctio, &  
testimonia.  
Joan. 4.*

*Act. 20*

Conjuro vos iterum per Sacramentum Baptismi, lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti à Deo in nobis effusum per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, cujus prophetans Ezechiel dicebat; Effundâ super vos aquam mundam, & munda- bimini ab omnib. inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum novum; Ideo de eodem Doctor affirmabat Christus dicens; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnū Dei: Quemadmodum & Paulus monebat, cum diceret: Christ⁹ dilexit Ecclesiam suam, & seipsum tradidit pro ea, ut sanctificaret eum, mundans illam lavacro aquæ, in verbo vitæ.

Conjuro vos iterum per Sacramentum Confirmationis, quo Spiritus sanctus baptizatis, ad robur firmitatis, & gratiæ augmentum, ut intrepidè nomen Dei confiteantur, intunditur: cujus cum discipulis suis loqueretur Dominus, dicebat; Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixerō vobis: Ideo eodem edocti Apostoli, qui erant

*Hiero*



Hierosolymis, cum audissent quod Samaria receperat  
verbum Dei, miserunt ad illos Petrum & Joannem, qui  
cū venisset precaverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum  
sanctum, & imponentes manus super illos eundem ac-  
cipiebant.

*Pœnitentiæ  
diffinitio,  
& testimo-  
nia. Aug.*

Conjuro vos iterum atque iterum, per Sacramentū  
Pœnitentiæ, quo cum odio peccati & amore Dei, præte-  
rita mala detestemur & delenda iterum non committi-  
mus: cujus Dominus ait: Pœnitentiam agite, appro-  
pinquabit enim regnum cœlorum: Sed & gaudet re-  
gnum cœlorum, eodem attestante gaudium esse in cœlo  
coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam a-  
gente, magis quam super nonaginta novem justis, qui  
non indigent pœnitentiâ.

*ser. 7. de  
verbor.  
Ap. Greg.  
super Esai.  
Ma. 4.  
Lic. 16.*

Constringo vos iterum per Sacramentum Eucharis-  
tiæ visibili Elementorum specie, & invisibili Domini  
nostri carne & sanguine constans, quæ post consecratio-  
nem veraciter sub speciebus panis & vini continentur;  
tanti autem Sacramenti præconia promovens David ce-  
cinit; Memoriam fecit mirabilium suorum misericors  
& miserator Dominus, escam dedit timentibus se; In-  
stitutionē verò actu celebrans Dominus Jesus, cū acce-  
pisset panem benedixit, fregit, deditq; discipulis suis di-  
cens; Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum: Et  
accipiens calicem gratias egit, deditq; illis dicens; Bi-  
bite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus. Hoc in-  
super declarans Apostolus dicebat; Calix benedictio-  
nis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis  
Christi est? Et panis quem frangimus, nonne partici-  
patio corporis Domini est?

*Eucharis-  
tiæ diffini-  
tio, &  
testimonia  
Aug.  
Psal. 110.*

*Mat. 26.*

*2. Cor. 11.*

*Ordinis  
sacri diffi-  
nitio, &  
testimonia,  
10. an. 20.*

Constringo vos iterum per sacramentum Ordinis,  
quo Episcopi per manuum impositionem, & alias cere-  
monias, ad executionē publici muneris, in ecclesia ge-  
rēdi specialis gratia & potestas, ritē ordinato confertur;  
Et cujus extat celebris in sacris eloquiis memoria, cum  
Dominus discipulis suis dicat; Accipite spiritum San-  
ctū, quorū remisistis peccata, remittuntur eis, & quorū  
retinueritis retenta sunt; Et post ultimā cœnā de Eucha-  
ristiâ

*ritiâ*

2. Cor. 7.

rística peracto mysterio, ait. Hoc facite in meam commemorationem. Declarat & hæc Paulus dicens: Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, & dedit nobis mysterium reconciliationis, pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

*Matrimonii diffinitio, & testimonio.*

1. Cor. 7.

Constringo vos iterum atque iterum per sacramentum Matrimonii, maris & feminae ad individuam vitæ consuetudinem inter se mutuo retinendam, legitimus consensus: cujus Dominus ait: Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: Itaque jam non sunt duo sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Memoriam quoque Paulus facit dicens; His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, sed uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari.

*Uctionis extrema diffinitio, & testimonio.*

Iac. 5.

Impero vobis iterum per sacramentum Uctionis extremæ hominis infirmi jam morituri, penitentiam agentis de peccatis suis, factæ à Sacerdote, in certis corporis membris, cum oleo ab Episcopo consecrato, efficaciter conferens remissionem venialium peccatorum, ad mentis elevationem, atq; corporis sanitatem: de quo Jacobus discipulus Domini loquitur dicens: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, unguentes eum oleo sancto in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Hoc autem de quo Jacobus loquitur, usi sunt cum eo cæteri Apostoli; nam exeuntes prædicabant ut agerent penitentiam, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.

Mar. 6.

*Communio sive generalis omnium Sacramentorum.*

Impero iterum vobis per omnia simul sanctorum Sacramentorum communia & generalia, ut hinc præcipiti festinatione ruere efficaciter debeatis; Per eorum convenientem institutionem: per eorum, in aliquo, convenientem conformitatem: per eorum differentiam, &

quidam



quiditatem: per eorum causam principalem, & meritorem: per eorum efficaciam, & potestatem excellentię, ad ipsorum esse, requisitionem: per eorum inchoationē à Christo, & causam materialem, per eorum causam formalem, & finalem, per eorum diversitatem, & figuratorem, atque per eorum singulorum actualem principationem, & effectum principalem omnibusq; communem: Quid igitur? Miseri iniquissimi fugam tardatis? Quid? Quid iniqui miserimi recogitatis?

Imperio vobis tandem iterum atq; iterum ut omnē proterviendi etiam præsumptionem, sive maleficii prætensionem, deponatis, per omnia simul cujuscunque sacramenti propria & specialia, & sacramenta ipsa: per abolutionem originalis & actualium criminum, per conservationem firmitatis in bono: per refectionem incorporationis in corpus Christi mysticum, per actualium peccatorum post Baptismum remissionem, per debiri officii, in vitam æternam, executionem: per proliis susceptionem, & fornicationis evitacionem, perq; venaliū peccatorum purgationem. Sed & per Sacramentalem Characterem, & Ornatum, per vitiorum extirpationem, & virtutum inductionem, perque tandem omnium Sacramentorum esse, & de ipsis certitudinem evidentia in scripturis. Hinc itaque sine mora discedite. Quid moramini? Deum contemnitis, cujus vices in hoc, quamvis indignissime, gero? Sic vestri expulsivum debita vestrae superbiae pœna: sint vobis in novum infernum Sacramenta ab hac Dei creatura suscepta: sit vobis vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum, inflictio omnium gehennalium tormentorum, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

*Propria sine  
ve specialia  
cuiuscumque  
sacramenti  
novæ legis.*

## EXORCIZATIO SEPTIMA.

Quæ est ex præcipuis S. Ecclesiæ  
Dogmatibus.

*¶ Stet Exorcista ante Altare, & Psalmum dicat sequentem.*

*Psal. 5.*

**V**erba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus. Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam, Mane astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neq; habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinū & dolosum abominabitur Dominus, ego autem in multitudine misericordiæ tuæ. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meā Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorū, linguis suis dolose agebant, iudica illos Deus, Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine. Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto. Domine ut scuto, bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, &c.

*¶ Facie coram persona obsessa conversa dicat Exorcista Lectionem sequentem.*

LECTIO LIB. JOB.

*Cap. 2.*

**F**actum est, cum quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Sathan inter eos, & staret in conspectu eius, ut diceret Dominus ad Sathan; Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi



cui vi terram & perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Sathan: Numquid considerasti servum meū Job, quod non sit ei similis in terra? Vir simplex & rectus, actimens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Sathan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, & tanze os ejus & carnem & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serva. Egressus igitur Sathan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à plâta pedis usq; ad verticem ejus. Qui testa saniem radebat, fedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? in omnibus his non peccavit Job labiis suis.

*¶ Manu posita super vertice capitis personæ obsessæ, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.*

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM  
MATTHÆUM.

**C**Um venisset Jesus ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens, Domine, miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur. Nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquâ, & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eū. Respondens autem Jesus dixit. O generatio incredula & perversa, Quousq; ero vobiscum? Usquequo patiar vos? Afferre huc illum ad me, Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo Dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Cap. 17.

*¶ Fleclens genua immediate, cum omnibus astantibus dicat Exorcista Litanias sequentes.*

## LITANIÆ.

**K**Yrie eleison. & Christe eleison.  
 Kyrie eleison & Christe eleison.  
 Kyrie eleison. & Christe eleison.  
 Sancta Trinitas unus Deus, & Mis. nob.  
 Deus deorum. & Mis. nob.  
 Sancte Sanctorum. & Mis. nob.

*Notabilia  
 multa de  
 Deo.  
 Job. 7.*

Decor inastimabilis. & Ejice il.  
 Valor impretiabilis. & Confunde il.  
 Flos preciosissime. & Depone il.  
 Fructus suavissime. & Prosterne il.  
 Fundamentum ad sustinendum. & Pro. il.  
 Firmamentum ad defendendum. & Con. il.  
 Deductor præceptorum. & Con. il.  
 Iuductor præmiorum. & Disperde il.  
 Libertas dignitatis. & Tormenta il.  
 Puritas Sanctitatis. & Expel. il.  
 Remissor culpæ. & Ejice il.  
 Ablator penæ. & Con. il.  
 Reformans gratia. & Depone il.  
 Quietans gloria. & Prost. il.  
 Nobilis commendator. & Percute. il.  
 Excellens coronator. & Comp. il.  
 Peregrinorum ductor. & Confringe il.  
 Deviorum reductor. & Disp. il.  
 Nobilitate inastimabilis. & Tor. il.  
 Æternitate interminabilis. & Expelle il.  
 Radiosa veritas. & Ejice il.  
 Fructuosa bonitas. & Con. il.  
 Mensura spaciosa. & Dep. il.  
 Forma speciosa. & Prost. il.  
 Gloria sine ignominia. & Percut. il.  
 Gaudium sine tristitia. & Com. il.  
 Spiritualis, & invisibilis. & Con. il.  
 Immortalis, & impassibilis. & Disp. il.  
 Calor tepidorum. & Torm. il.  
 Ferror calidorum. & Expelle illos.

*Recreatio*



Recreatio quietorum, & Ejice illos.  
 Decoratio formosorum. R. Conf. il.  
 Acquisitor provide, R. Dep. il.  
 Conservator sapiens, R. Proft. il.  
 Virtus cuncta superans, R. Percute il.  
 Clavis cælum referans, R. Com. il.  
 Condemnator citra dignum, R. Conf. il.  
 Præmiator ultra condignum, R. Disp. il.  
 Scala devotionis, R. Tor. il.  
 Schola perfectionis, Expelle il. |  
 Speciosus in decore, R. ejice il.  
 Preciosus in valore, R. Conf. il.  
 Curans à culpa perpetrata, R. Conf. il.  
 Custodiens à pæna præparata, R. Pro. il.  
 Radix portans lignum, R. Perc. il.  
 Fornax probans aurum, R. Comp. il.  
 Prudens gubernator, R. Conf. il.  
 Strenue bellator, R. Disp. il.  
 Informator hominum, R. Tor. il.  
 Impugnator Dæmonum, R. expel. il.

*¶ Surgens Exorcista, faciem suam ad altare  
 convertat, & modo sequenti Deum exoret.*

V. Domine exaudi orationem meam,  
 R. Et clamor meus ad te veniat.  
 V. Injusti punientur.  
 R. Et semen impiorum peribit.

## O R A T I O.

**A** Mande nimis, ac timende valde, omnipotens æ- *Amoris &*  
 terne Deus, qui humanam structuram tuam in *timoris*  
 finem suū ultimum tendere, ex abundantia pic- *compara-*  
 tatis tuæ, suaviter disponendo compellis, amoris scilicet *tio.*  
 & timoris stimulis: etenim timore terres, amore vero  
 allicis, timore amaricas, amore demulcis: timore ima-  
 ginem pænæ detegis, amore finem præmii proponis: ti-  
 more à crimine dissolvis, amore ad justitiam ducis:  
 timore devium reducis, amore reversum inducis: ti-  
 more

more recessum prohibes, amore accessum confirmans: timore providum facis, amorum cautum redis: atq; timore humilias, & amore lætificas: suppliciter imploramus clementiam majestatis tuæ, ut hanc facturam tuam jam diu timore concussam, subque Diabolico infessu, nimio tremore humiliatam, amore lætificare digneris, effectibus amoris tui, de superna arce cælorum fluentibus, ut ipsis, sicut rore matutino, imbreq; temporaneo resperfa, non præsumat sterilitatis piarum mentium auctor Diabolus, in ipsam amplius, cum satellitibus suis morari: Mitiga itaque omnem iram tuam, & averte ab ira indignationis tuæ: Sis misericors, & propitius peccatis hujus fragilis ovis pascuæ tuæ, & abunda ut avertas iram tuam: non accendans omnem indignationem tuam, ut non avertatur humilis factus confusus: Leva autem manum tuam in superbias horum spirituum tenebrarum in finem, nam gloriati sunt qui oderunt te, Exurge Domine Deus judica causam tuam, quoniam tenuit eos superbia eorum, operati sunt iniquitate, & impietate sua: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis: Cogitaverunt & locuti sunt iniquitatem, in excelso locuti sunt: Sed numquid non posuerunt etiã in cælum os suum? Transeat ergo Domine lingua eorum in terra, in cujus visceribus, pietate tua, nunc hinc discedentes descendat. Replebitur enim propterea os nostrum laude, ut catemus gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam: Sed & linguæ nostræ meditabuntur justitiam tuam, cum confusi & reveriti fuerint, qui quærent mala nobis, sicq; confitebimur tibi Deus, confitebimur & invocabimus nomen tuum, dicentes: Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen majestatis ejus in æternum. Fiat, Amen.

*¶ Sedens Exorcista sequentia compleat.*

### EXORCISMUS.

**E**Xorcizo vos immundos spiritus, qui in corpore hujus facturæ Dei, temeraria vestra præsumptione infeditis,



infeditis, cujuscumque ordinis & prælaturæ existatis, ego minister Dei, & servus Domini nostri Jesu Christi, per individuan unitatem, & summam Trinitatem, in qua qui filius est ineffabiliter genitus, sexta mundi ætate mundum volens suo piissimo adventu consecrare, ex virgine factus est homo ut homines redimeret, quos unitate fidei in unam sanctam Ecclesiam, ejus corpus mysticum, cujus caput est, vinculo charitatis junxisset: quatenus adhuc in hoc plasmate Dei commorandi vobis nequaquam fas sit: Et si forsitan maleficio gloria-mini, illud dissolvere, dissolutumque, materiales partes in destructionem totius, sine læsione hujus creaturæ Dei, emittere teneamini: Imò ego auctoritate qua fungor, præsentis signo sanctæ Crucis † sicut vos fugere statuo, sic omne maleficium dissolutum esse decerno, dissitum, destructum.

Perfusi sitis confusione per statum unius, Catholicæ, *Ecclesia*  
& Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quæ convocatio est om- *quid, &*  
nium fidelium viventium in una fide, & cultu visibili *qualis sit.*  
veri Dei, ex instituto divino, propter vitam æternam u-  
nitorum: extra quam non est salus, sed æterna submer-  
sio, quemadmodum tempore Nohe in diluvio extra Ar-  
cam existentibus interitus fuit: & in qua bonum semen  
cum Zizania, servi fideles & negligentes, virgines fatuæ  
& prudentes, pisces boni & mali, ac etiam debiles, cæci,  
& claudi, implentes nuptias discumbentium, perseverant.

Exaltetur dextra deprimentium vos per initium Ec- *Initium*  
clesiæ, quæ in statu innocentie, sexta operis creationis *sumpsit*  
die, à formatione Adam, per fidem ejus, & gratiam sibi *Ecclesia ab*  
collatam, atque actuale sacrificium cordis interius, cum *Adam &*  
proposito sacrificii operis debito tempore ex tunc, si *Abel.*  
necesse fuisset exterius, celebrando, ab eodem radicali-  
ter inchoavit: & post constitutionem Evæ congregari cæ-  
pit: atque post lapsum, in Abel justo gratia, fide, &  
cum interiori sacrificio & exteriori initium obtinuit e-  
videntiæ: multiplicarique cæpit successivè, usque ad  
tempora nostra, sicut stellas cæli & sicut arenam quæ est in  
littore maris: Ita ut diceret sanctus Propheta: Confite-

*Psal. 21.*

bor tibi in ecclesia magna in populo gravi laudabo te.

*Vna dicitur  
Ecclesia  
propter  
vna.*

Destruat vos Deus in finem per Ecclesie unitatem: una est enim in primis unitate fidei, quæ eadem fuit in omni statu nature institutæ, destitutæ, & restitutæ, etsi caeremoniis variis diversimodè fuerit protestata: obscurius tamen prius, successivè autem semper patentius, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides, unum baptisma: Unitate spei deinde, eodem affirmante cum dicat: Vocati estis in una spe vocationis vestræ: Atque postremo unitate capitis Petri, ac successorum ejus in ea visibiliter presidentis, juxta vaticinium Johelis, dicentis: congregabuntur filii Judæ, & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum: à Domino nostro Petro declarato cum dicitur: Tu vocaberis Cephæ.

*Iohes. 1.*

*Sancta est  
Ecclesia.*

*1 Reg. 2.*

Latificentur omnes inimici vestri in malis vestris per Ecclesie sanctitatem, non imparticipatam, cum solius Dei sit, qui natura & essentia sanctus est: nam dicitur: Quis sanctus ut Dominus? Sed participatam, cum fideles in gratia existentes sancti dicantur: Propheta de seipso dicente: custodi animam meam quoniam sanctus sum, & non quidem imparticipatam ab omni culpa & pena purgantem, cum hæc triumphanti ecclesie conveniat, sed ab originali & actuali tantum macula emundantem: secundum quam aliquando Romanis ab Apostolo dictum est: omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocati sanctis.

*Rom. 2.*

*Universalis est  
Ecclesia, sive  
Catholica.*

Diripiant vos omnes transeuntes viam per Ecclesie universalitatem, quæ talis est fide, cum fides universalis sit veritate omnium creditorum, permanentia omnium temporum, debita obligatione credendi secundum ipsam omnium nationum, & annunciatione facta & perficienda per omnes orbis partes: Sed & talis est omnium spiritualium ægritudinum curativo sacramentali remedio: consistentia omnium Ecclesiarum per multas provincias diffusarum: atque universali presidentia unius Ecclesie Romane, Romanique Pontificis maximi, ut sit unum ovile & unus pastor, in quo omnes oves uniantur, & indistinctè uni sint commissæ Pastori.

*Iohan. 10.*

*Aversis*



Aversi sitis erubescences per Ecclesie Apostolicitatem, à Sanctis Apostolis Domini nostri Jesu Christi deductam, qui duodecim fundamenta secundaria sunt. cū pro fundamento primo aliud poni non possit præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: secundum ejus veritatis confirmationem, viderat Joānes murum ecclesiasticæ civitatis, habentē fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum, & Agni; Ideo post ascensionem Domini primi fuerunt, qui verbo & exemplo & miraculis mundum illustrarunt; ipsi nāq; profecti prædicaverunt ubique Domine cooperante & sermone confirmante sequētib; signis; Unde & per ipsorum traditionem sacræ ecclesiasticæ observationes ad hunc usque diem sunt derivatæ.

*Apostolica  
est Ecclesia.*

Derideat vos Dominus & ad nihilum deducat per Ecclesie indeviabilitatem à vero, & ab his quæ boni moris sunt; fieri enim non potest ut sponsa quam Christus dilexit, & semetipsum tradidit pro ea, mundans eā lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neq; rugam, aut aliquid hujusmodi, ut sit sancta & immaculata; quæque Paraclerus cum ipsa manēs in æternum, omnium veritatū auctor replevit, à veritate fidei, inculpabilitateque dispositionis morum discedere, permittatur; Ideo Dominus Apostolo dixit; Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua.

*Errare non  
potest Ec-  
clesia.*

*Luc. 22.*

Arguat vos Dominus & statuatur contra faciem vestrā per Ecclesie auctoritatē, quæ tanta est ut omnia alia major censentur; tempore enim etiam sacræ præcedit auctoritatem scripturæ, cum primi temporis statu, non existente scriptura, in Adam, Eva, & Abel, diversimodè ecclesia fuerit; post Christum etiam sancti Evangelici præcones Evangelium per universum mundum nunciare ceperunt, nulla existente de Christo incarnato scriptura; cum nec ipsis dixisset Dominus; Ite scribite; Sed prædicate Evangelium omni creaturæ: Dignitate quoque antecellit, quoniam non scriptura Ecclesiam, etsi per scripturam comprobetur Ecclesia, sed Ecclesia scripturā approbavit.

*Auctori-  
tas Ecclesia  
qualis sit.*

Humiliet vos qui est ante secula per clavem Ecclesie, potestatis ligandi atque solvendi, qua Ecclesiasticus iudex, dum remittit, impedimentum ingressus celi removendo aperit, & retinendo claudit: Hæc autem, vel est jurisdictionis, & propter hæc, ipsam obtinens, dominium exercere potest in alio, quo ad sibi debitos actus; vel est ordinis, & propter hæc, ex vi characteris, aut ligare potest, aut solvere; Et si ordinis est, vel est scientie, & propter hæc lepram discernit à spiritali lepra; vel est potestatis, & propter hæc sententiam absolutionis profert, aut ligationis. Has promisit dominus Petro cum diceret; Tibi dabo claves regni cœlorum.

*Mat. 16.*

*Thesaurus Ecclesie unde sit.*

Feratis confestim confusionem vestram per Ecclesie Thesaurum, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitie Dei, de cujus desumptione aut minuitione non est aliquatenus formidandū, tū propter Jesu Christi infinitum, ideoq; superexcedens meritum, passione suæ humanitatis acquisitam, ratione divinæ cum humana natura, in unitate personæ divinæ identificationis; tum quoque propter superantes Mariæ virginis pœnalitates, quas etsi innocens concepta, nataque fuerit, & semper vixerit, sustinuit nihilominus; tum etiam propter constantissimam tolerantiam multorum pro Christi nomine à Sanctis Martyribus, tormentorum; tum tandem propter aliorum omnium servorum Dei operum supererogantiam; in quorum numero satisfactoria Job computantur, dicentis; Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris, hæc gravior, appareret.

*Job. 7.*

*Indulgentia quid sit, & eius memoria in scripturis.*

Quemadmodum olera herbarum cito decidatis per suffragium indulgentiæ Ecclesie, quæ est distributiva applicatio pœnalitatum supererogationis domini nostri Jesu Christi, Sanctorumque omnium, pro debite pœnæ præteritorum peccatorum remissione, ab eo cum iudicio discretionis facta, qui universali ecclesie præest; Hujus vaticinatus est, dum in persona Messie loqueretur Etias propheta dicens; Spiritus domini super me



per me, eo quod unxerit me, ad annunciandum manufactis misit me, ut mederer contritos corde, & prædicarem captivis indulgentiam: quod in Synagoga Nazaret doctor dominus noster declarans dicebat, se ab arce Patris ad evangelizandum pauperibus, sanandum contritos, & prædicandum captivis remissionem, missum esse.

*Esa. 61.*

Dissipet consilia vestra Deus per Indulgentiarum Ecclesie virtutem, q̄ quo ad forum Ecclesie interiorē, & iudicii Dei, & ad utrunq; simul, valent permaxime; Absolvunt enim à penitentiis in foro conscientie injunctis vivos; & à pœnis post Contritionem, Confessionē, & Absolutionem residuis, etiam à iudice penitentiario non injunctis, eosdem; atque à purgativis mortuos in gratia decedentes, cum applicantur ipsis per modum suffragii, non de congruo meritorii, non oblationibus & orationibus imperativi, sed satisfactorii, dum Ecclesia pro eis rogando divinæ justitiæ præsentat, ad ipsorum à pœnis liberationem, supererogativa pœnalia domini nostri Jesu Christi, sanctorumq; omnium, sicque ordinatè non satisfactionem pro pœna, sed obligationem ad pœnam remittit.

*Indulgentiarum valor quantum, & qualis sit.*

Facti sitis tanduam vas perditum per Ecclesie permanentiam, propter quam cum mundo trahet suæ perennitatis perpetuitatem, quoniam Deus fundavit eam in æternum; unde & ejus sacerdotium æternum esse dicitur, secundum ordinem Melchisedech; ideo Gabriel Angelus cum de sede regni Ecclesiastici, cum Maria loqueretur dixit filio suo domino nostro Jesu Christo daturum fore dominum Deum, sedem David patris ejus, & regnaturum in domo Jacob in æternum: Propterea salvator dicebat; ero vobiscum usq; ad consummationem seculi, ut ecclesiana confirmē gratia, ut Eucharistia nutriam, utq; tandem ab hoste protegam, nec portæ inferi adversus eam prævaleant.

*Duratura est Ecclesia usque in seculi finē. Ps. 147. Ps. 110. Luc. 1. Mat. ul. Mat. 1.*

Dominentur vestri, qui oderunt vos per primatum Petri, ac successorum eis in Ecclesia à domino nostro Jesu Christo prius eidem, secundum plenitudinem potesta-

*potesta-*

*Primatum  
in Ecclesia  
est Petri, ac  
successorū  
eius.*

potestatis promissum, dicente; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum; Datum verò deinde cum etiam in trina interrogatione dixisset; Simon Joannis diligis me? Plus his? Pasce agnos meos; Pasce oves meas; unde facile deprehendatur illos de ovile Christi non esse, quos proterviendi stiperbia, sub ipso pastore summo non facit subesse.

*Humana  
leges obli-  
gant ad ip-  
sorum ob-  
servantiā.*

Deficiant sicut fumus momenta hujus inhabitationis vestræ, & sicut umbra declinent per debitam humanarum legum in Ecclesia Dei observantiam, cujus contemptores criminis labem incurrunt; humana namq; lex à naturali profluit, naturalis autem à divina habet derivationē; Sicq; Deo autore Reges regnant, & principes imperant, & legum conditores justa decernunt; Omnis itaq; anima potestatibus sublimioribus, in observantia legum, subdita esse debet, non est enim potestas, nisi à deo; Quæ autem à Deo sunt ordinata sunt; Itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt sibi damnationem acquirunt.

*Prov. 8.*

*Canonice  
traditiones  
& leges  
sunt obser-  
vanda.*

Tribulent vos inimici vestri per pias omnes canonicas traditiones, quæ rectè regendo ducunt, dum formam rectè vivendi præbent, & pravum corrigunt; ordinantur enim ad bonum spirituale, & ad tranquillum vivendi modum Ecclesiasticum, hac nanque pia intentione Apostoli ducti, traditiones tales observandas fidelibus reliquerunt; Unde Tessalonicenses monebat Apostolus, traditiones quas didicerant sive per Epistolam, sive per sermonem, tenere; Et cum Syriam perambularet confirmans Ecclesiam, & pertransiret civitates, custodire præcepta, & dogmata Apostolorum, & Seniorum instantissimè præcipiendo tradebat.

*2. Tes. 2.*

*Sacra  
scriptura  
est maxi-  
ma auctori-  
tatis.*

Percussi sitis, ut fornax arefcens per auctoritatem sacræ scripturæ, cui tali in omnibus semper fides est adhibenda, ut nulla formido nunquam terreat in oppositum. Quid enim certius ea? Spiritu enim sancto afflante locuti sunt sancti Dei homines; Spiritus sanctus autem  
cura



eum sit per essentiam veritas, falsa nequaquam est possibile promere; Ideo dominus Jesus Christus, cum eum angelium suum miraculis comprobasset, & quod pseudo Prophetæ, in oculis hominum signa fuissent, & prodigia datur animadvertisset, ita ut etiam electi, si fieri posset, in errorem ducerentur, ad scripturæ se firmitatē cōvertit, dū diceret; Scrutamini scripturas, quia ipsæ sūt, quæ de me testimonium perhibent.

Mittat in vobis omnipotens iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, & immissiones per alios angelos malos per fidem Ecclesiæ, quæ fundamentum est, & substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium; cuius sedes est intellectus, cum assensus absq; formidine, qualis est fidei, intellectus sit; cuius objectum est prima divina veritas revelans sive res ipsa divina revelata, in via sensu imperceptibilis, etsi fides sit ex auditu, auditus autē per verbū Christi; cuiusq; tanta necessitas est ad salutē, ut Apostolus aliquē Deo sine ipsa placere, esse impossibile, diceret.

*Quid fides, qualeque eius obiectum, & necessitas sit. Heb. 2.*

Fiant viæ vestræ tenebræ & lubricum, & angelus domini persequatur vos per duodecim articulos Fidei Ecclesiæ, quorum sex ad divinitatem, & roidem ad Christi humanitatem pertinent; Ideo in primis Deum unum, trinum, creatorem, justificatorem, resuscitatorem, & glorificatorem, verissime confitemur; quemadmodū deinde incarnationem Christi, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem, ascensionem, & adventum ad iudicium, corde credenti, & ore patenti constantissime profiteamur; Hos autem omnes quo ad utrumq; mirabiliter complexus est Salvator dicens; Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

*Articuli fidei quod, & quales sint.*

*Ioan. 17.*

Facti sitis tanquam pulvis ante faciem venti, & angelus domini coarctet vos per fidei Ecclesiæ protestationem, quæ præcipuè Sanctorum canonizatione fit, summo tantum pontifici spectante; nam sicut solius Dei est & domini nostri Jesu Christi sanctificare, ita solius Christi Vicarii esse debet in terris hominum sanctitatem, cuius vicarius quare fiat.

*Canonizatione Sanctorum ad summum Pontificem pertinens, cuius vicarius quare fiat.*

ritus & solemnitates debitas observando, declarare; Sicq; ipsorum Sanctitatem simul & approbare, & populo Christiano venerandam proponere, atque illorum beneficio fidem totius Ecclesiæ confirmare, ut in hunc modum valeat dictum Salvatoris adimplere dicentis; Ego rogavi per te Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

*Luc. 22.*

*Justificatio est triplex.*

Retribuatur vobis dominus abundanter facientibus superbiam per Justificationem, qua rationalis creatura diversimodè justificari potest; vel enim per simplicem emanationem gratiæ Dei absque prævia voluntatis dispositione justificandorum; Ut Angeli omnes; aliquiq; homines, per domini gratuiti præventum; vel per collationem gratiæ, cum applicatione Sacramenti Baptismi, & sine concursu arbitrii Sanctificandorum, ut parvuli hominum ante usum rationis; vel per remissionem culpæ infusionem gratiæ, ex parte Dei, atque per debitam mentis præparationem, ex parte reconciliandorum, ut communiter accidit in adultis hominibus; Cor enim disponit viam suam, sed domini est dirigere gressus ejus.

*Prov. 1.*

*Gratia specialis duplex est.*

Visitentur in virga iniquitates vestræ, & in verberibus peccata vestra, per gratiam specialem, qua Deus movet hominem ad justificationem, vel cum ad considerandam peccati enormitatem, ipsiq; debitæ penæ accerbitatem, ante tamen gratiæ gratum facientis infusionem, successivè & suaviter disponendo inducit, quando remordente Synderesi, lumine fidei, libertate arbitrii, anhelante conatu, homo, etsi imperfectè, in bonum tendere valet; Vel cum illicò, & subito, sine dispositione, supra modum naturalem, homini statim dat gratiam & ipsum ad bonum perfectum adducit; ut in omnibus appareat nos non esse sufficientes cogitare aliquid perfectè ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientiam nostram ex Deo prodire.

Comprehensistis in superbia vestra per omnes causas ad impij justificationem concurrentes; Per dispositivam, Fidem, Spem, Charitatem, & Pœnitentiã quibus ad bonum



ad bonum, initium, profectum, & perfectum acquirimus: per principalem Deum optimum maximum, ipse est enim qui iustificat impium: per meritoriam Dominum nostrum Jesum Christum, nam ipse nobis & gratiā meruit, & gloriam aperuit: per ministerialem excellenter, humanitatem domini nostri Jesu Christi, quæ unita divinitati, spiritualia nobis dona sufficienter contulit: per ministerialem simplicem, Sacerdotem domini, qui auctoritatem habet absolvendi, & sacra medicamina applicandi: per instrumentalem Sancta Sacramenta, quæ gratiam significant, & continent, & conferunt: per formalem, gratiam gratum facientem, qua averſi à malo, convertimur ad bonum: atque per finalem, vitam æternam, quam possidere, & ipsa frui semper speramus.

*Causa iustificationis quæ quot sunt.*

Collidatur in terra sedes vestra per gratiam, qua Deus hominem diversimodè diligit; generaliter, & specialiter; gratis dando sermonem sapientiæ, ut profunde per supremas causas ad divina pertinentia manifestentur: sermonem scientiæ, ut quæ Dei sunt per creata, propalantur; sermonem fidei, ut de credendis suadeatur; gratiam sanitatum, ut propter beneficium facilius credatur; operationem virtutum, ut aliquod magnum exterius operetur; propheticam, ut divinè cognita aliis revelentur; discretionem spirituum, ut facto discerniculo, veritas demonstraretur; genere linguarum, ut diversis gentibus veritas commendetur; interpretationes sermonum, ut difficilia scripturæ enodentur; Actiones ministrorum, ut Ecclesiastica Hierarchia gubernetur; Sed & tandem gratum faciendo; in Via inchoando, & in Patria consumando.

*Gratia Dei multiplicis, sunt effectus multi.*

Sit vobis dominus magnus, terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt per libertatem voluntatis humanæ; propter quam, in patria libera est circa summū bonum libertate complacentiæ; sicut in via, circa aliud quod objectū, dum vult hoc vel illud, vel ejus oppositū, contrarietatis; aut respectu sui actus, dum vel velle potest, vel non velle, contra dictionis; atque quo ad ordinē, boni existentis, vel apparentis, arbitrationis, Sed & libera omni-

*Voluntas humana semper est libera.*

ra omni-

ra omnino est quo ad exercitium, dum actum suum suspendit, sive non suspendit; ante Adæ peccatū & post ejusdem lapsū; domino Cain jam voluntario fratri dæ dicente; Super te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

*Gen. 4.*

*Operatōna  
valent ad  
diversa.*

Effundat Deus super vos irā suā, & furor iræ suæ cōprehendat vos per bona omnium christianorum opera in charitate facta, quæ cum Deum placent, maximè sunt ad salutem necessaria; tum quia fidem vivificant, quæ sine operibus est mortua; tum propter bonum exemplum, ipsorum exercitio, proximis demonstratum, ut patrem glorificent qui in cælis est; tum etiam propter æternam retributionem, quæ à Deo expectatur, qui reddit unicuique secundum opera ejus; iis quidē qui secundum patientiā boni operis gloriam, & honorē, & incorruptionem, quærunt, vitam æternam.

*Rom. 2.*

*Intercessio  
Sanctorum  
est poscen-  
da.*

Dispergat vos in virtute sua, & deponat vos susceptor noster dominus per decentem omnium sanctorum ab hominibus invocationem, ut ipsi domestici Dei, suis intervenientibus meritis, divinam clementiam pro nobis in necessitatibus dignanter implorent, sicut & ante vitæ functionem, cum Abraham pro sanitate Abimelec; & post mortem; cum Hieremia pro populo Israel, & universa sancta civitate facere consueverunt; ipsos enim sic invocare, cum Moise, domino dicente; Recordare Abraham, Isaac, & Jacob, fas est ut laudemus dominum in sanctis ejus, quem scimus sanctos suos, sibi ministrantes, honorificare.

*Exo. 32.*

*Pf. 148.*

*Adorandi  
sunt San-  
cti.*

Ad nihilum deveniatis tanquam aqua decurrens per laudabilem sanctorum adorationem Dulix, qua communiter Sancti honorantur in recognitionem alicujus ipsorum dignitatis; sive Hyperdulix, qua sanctos, excellentia ultra communem statum supereminentes venerantur, non actu interiori tantum, sed & exteriori, cum Abigail quæ adoravit David, prociditque coram eo, & cecidit ad pedes ejus; cumq; Nathan propheta, eundem, pronus in terra, reverentem: dum regi seculorum immortalis & invisibilis, soli Deo honor & gloria, Patriæ cultus servatur.

*Descen-*



Descendatis tandem in infernum viventes per venerandarum imaginum in Ecclesiam Dei debitam adorationem qua eas representantes tali, ad prototypum reverentia pergentes, honoramus, quali representatum; sicut enim ad imaginem ænei serpentis, ex mandato domini formaram, & super lignum suspensam, filii Israel reverenter aspicere, ne in deserto à vivis serpentibus percussi perirent, tenebantur: nihilominus in ejus reverentia non terminabantur, sicut nec ab ipsa sanabantur, sed à significato Christo super lignum crucis elevando, in signum salutaris remedii per meritum passionis ejus, ab hominibus à vobis antiquis serpentibus diversimodè percussis, acquirenti: ita dum imagines Sanctorum honoramus, simul imaginatos veneramus, semper, & ubiq; Sed nunc, & hic præcipuè, ut suis, intercessionibus in auxilium nostrum properent, & armis assensus Dei roborati, contra vos manu forti, & brachio potenti dimicent. Num ipsis omnibus resistere poteritis? Num Deo, quem jam credimus, ipsorum intercessionib; propitium? Nolite, nolite extollere in alium cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatè, sed humiliamini trementes sub potenti manu Dei, nec vobis etiam remaneat prorerviendi virtus. Sed vos adhuc contra Deum stare præsumitis? Fugite hinc: date locū Deo: omnia maleficialia linquite: nam ego autoritate, qua fungor, signum sanctæ crucis † inter vos & illa intervenire definitivè decerno, ut vires vestri omnino tollantur, & maleficia ad nihilum redigantur. Nolite itaq; rebelles, nolite cum Antiocho vasa Dei contaminare: cum Joab nolite insidias struere: nolite cum Achab vineā Dei profanare: cum Apolonio nolite spolia templi domini diripere: Et nolite cū Holoferne humerum sanguinem sitire: Sed ite ad loca vobis debita, à Deo parata, ubi nemini noceatis: sed ex justo Dei judicio, in throno æquitatis suæ sedentis, omnia vobis noceant in secula seculorum.

*Imagines  
Sanctorum  
quemodo  
sint adorā-  
de.*

*Psal. 74*

*Assimila-  
tur Dia-  
bolus di-  
versis.*

EXORCIZATIO OCTAVA,  
 Quæ est ex mysteriis Sanctissimæ Trini-  
 tatis & unitatis Dei.

*¶ Stando Exorcista coram altare, Psalmum sequentem dicat.*

*Psal. 109.*

**D**ixit dominus domino meo: sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos: Scabellum pedum tuorum: Virgam virtutis tuæ emitret dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te. Juravit dominus, & non penitebit eum: tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges. Judicabit in nationibus: implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum. De torrente in via bibit: propterea exaltravit caput, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, & c.

*¶ Versus personam obsessam se vertens Exorcista, sequentem lectionem dicat.*

LECTIO ACTUUM APOSTOLORUM.

*Act. 8.*

**P**hilippus descendens in civitatem Samaritæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebant. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.

*¶ Manu posita super vertice capitis persone obsesse, dicat Exorcista sequentia Sancti Evangelii.*

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM  
 Marcum.

*Mar. 7.*

**A**bit Jesus in fines Tyri & Sydonis, & ingressus domum neminem voluit scire, nec potuit latere. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat



habebat spiritum immundum, intravit. Et procidit ad pedes ejus. Erat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut Dæmonium ejiceret de filia ejus. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: Non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa respondit, & dixit illi: Uti que domine. Nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium de filia tuâ. Et cum abiisset domum, inventit puellam jacentem supra lectum, & Dæmonium exiisse.

*¶ Immediate Exorcista flectens genua, cum omnibus astantibus, dicat Litaniâs sequentes.*

## LITANIÆ.

**K** Yrie eleison R. Kyrie eleison.  
 Christe eleison. R. Christe eleison.  
 Kyrie eleison. R. Kyrie eleison.  
 Pater de cælis Deus. R. Misere re nobis.  
 Filius redemptor mundi Deus. R. Misere nobis.  
 Spiritus sancte Deus. R. Misere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus. R. Misere nobis.  
 Pater principium sine principio. R. Confringe il.  
 Filius Verbum in principio. R. Confringe il.  
 Spiritus sancte simplex principium R. Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. R. Depone il.  
 Pater fons deitatis. R. Confringe il.  
 Filius Deus de Deo. R. Confringe il.  
 Spiritus sancte nexus Patris & Filii. R. Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. R. Depone il.  
 Pater summæ potentie. R. Confringe il.  
 Filius æterna sapientia. R. Confringe il.  
 Spiritus sancte voluntate manans. R. Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. R. Depone il.  
 Pater Lumen luminum. R. Confringe il.  
 Filius lumen de lumine. R. Confringe il.  
 Spiritus sancte lumen cordium. R. Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. R. Depone il.  
 Pater in abscondito. R. Confringe il.

*Personarum  
 divinarum  
 multa no-  
 tabilia.*

- Fili, quo cæli firmati sunt. & Depone il.  
 Spiritus sancte donum altissimi. R Depone il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater in Filio, & Spiritu Sancto. & Confringe il.  
 Fili Pater futuri seculi. & Confringe il.  
 Spiritus Sancte Patris nostri. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater Dei & hominis & Confr. il.  
 Fili Patri coequalis. & Confr. il.  
 Spiritus sancte, quo clamamus Abba. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater sedens super Cherubim. & Confringe il.  
 Fili retribuens abundanter & Confr. il.  
 Spiritus sancte mansuetos dirigens. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater semper operans. & Confr. ii.  
 Fili figura substantiæ Patris. & Confringe il.  
 Spiritus Sancte Nubes Lucida. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater fortis & maxime. & Confringe il.  
 Fili splendor paternæ gloriæ. & Confringe il.  
 Spiritus sancte Fons vivus. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater qui dolorem consideras. & Confringe il.  
 Fili cujus lex est veritas. & Confringe il.  
 Spiritus sancte visitator mentium. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater Rex seculorum. & Confr. il.  
 Fili requirens veritatem. & Confringe il.  
 Spiritus Sancte lingua ignea. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater ex quo omnis paternitas. & Confringe il.  
 Fili non repellens in finem. & Confringe il.  
 Spiritus sancte digitus altissimi. & Confringe il.  
 Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.  
     Pater misericordiarum. & Confringe il.  
 Fili laudabilis nimis. & Confringe il.  
 Spiritus Sancte consolator optime. & Confringe il.



Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.

Pater Principium & finis. & Confringe il.

Fili Principium sine fine. & Confringe il.

Spiritus Sancte finis sine fine. & Confringe il.

Sancta Trinitas unus Deus. & Depone il.

*¶ Surgens Exorcista, stando, facie conversa ad altare, modo sequenti Deum exoret.*

V. Domine exaudi orationem meam.

&. Et clamor meus ad te veniat.

V. Disperde illos in virtute tua.

&. Et depone eos protector meus domine.

## O R A T I O.

**O** Nobilissima infinitæ majestatis natura divina, omnium entium una causa, & summè simplex esfendi: non excludens nihilominus trium personarum pluralitatem. Cum sis enim potentissima, sapientissima, & optima: potes, scis, & vis ab æterno, Patrem alteri suæ majestatis plenitudinem dare, Filium sibi æqualem generans, qui cum Patre, amoris spirat Spiritum, cum eodem Patre, & Filio Factorem, & creatorem visibilium omniū & invisibilium. Ne hanc quæso facturam tuam in Diabolicam tentationem inducas: sed sicut ipsam absinthio amaritudinis hucusque replesti, ita deinceps rore misericordiæ tuæ dignare conspergere: Et sicut fecisti mirabilia in terra Cham: percussionem in Ægypto, ab homine usque ad pecus, & terribilia in mari rubro: ita hos à te maledictos Dæmones expelle, & terribili confusione in laqueum interitus precipita, ut demergat illos tempestas aquæ, absorbeatque profundum, & urgeat super eos puteus os suum: Paveant nomen tuum admirabile: fugiant, & procul recedant, ut nos oves pascuæ tuæ, cum hac creatura tua à Diabolica tyrannide liberata, exultemus nomini sancto tuo, & in psalmis jubilemus tibi, dicentes: Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: sed anima nostra erepta est de laqueo

*Quomodo  
dua di. in  
persona  
producantur.*

venantium, laqueus contritus est, & nos liberati fumus. Per dominum nostrum Jesum Christum, qui propria virtute, Diabolum sibi superbum rebellem calcavit, & cum eodem Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat in unitate ineffabilis suæ majestatis essentiæ, in secula seculorum. Amen.

*Sedeat hic Exorcista, & sequentia compleat.*

## EXORCISMUS.

**A**udite Aspides tartarei, de quibus dictum est; Panis illius vertetur in fel Aspidum. Exorcizo vos iterum atq; iterum cujuscumq; ordinis sive generis sitis; Ignei, Aerei, Terrei, Aquei, & Subterranei, sive de majoribus, sive de minoribus; quatenus nullam moram facientes, ab hac creatura Dei, quam invadere temere præsumitis illico, ruentes discedatis; nec nõ fraude quacumq; deposita, omne malificiorum genus extinguatis, & penitus dissipetis, atq; si qua sunt materialia maleficia completissime extrahatis per illud nobilissimum Esse, cujus nihil extra ipsum est; Nec .n. quicquam de eo præteritum, aut venturum est, Sed simul totum præsentialiter manens, soli Deo convenit; David divino numine ducto sic aliquando decantante; Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis à seculo & usque in seculum tu es Deus.

*Esse Dei  
qualis sit  
Isal. 68.*

*Vnitatis Dei  
qualis sit.*

*Ephe. 4.*

*Vnus est  
Deus omnium  
re-  
ctor.*

*Ephe. 4.*

Exorcizo vos per simplicissimam unitatem Dei, quæ nihil habet in se nisi se; & unitatis creaturæ similitudinem retinens, sicut illa à nullo ullo descensu vel respectu provenit, & omnis pluralitas ab ipsa successive deffluit, sic Deus à nullo est, sed omnia ab ipso sunt. Hujus autem unitatis divinæ meminit Apostolus, dicens; Unus dominus, una fides, unum baptisma.

Exorcizo vos per veritatem unius tantum principii, totius universi creatoris, & rectoris; Apostolo declarante; qui ait; Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia. Cum non sit bona pluralitas principantium. Ideo sicut unus solus Deus principio creavit calum & terram, sic illi de omnibus cura semper fuit.

*Audi-*



Audite reptilia, de quibus dictum est; Illic reptilia; quorum non est numerus. Conjuro vos ut fugiatis, per æternum Deum Patrem luminum, quæ necesse est Patrem esse, ne in illo generandi principium existens sit ociosum. Quapropter ineffabiliter semper generat, & sic Pater est. In cuius nomine David ait; Ex utero ante Luciferum genui te.

*Psal. 103*  
*Quare*  
*dua perso-*  
*na divina*  
*producantur.*

Conjuro vos per Deum Filium, qui ( quoniam inter omnes emanationes perfectissima est generatio ) à patre generatione emanat : Et cum Pater sit omnis copiosissimus ditatis & bonitatis fons, persona quæ Filius est, æterna generatione effluit ab ipso. Cujus declamator Isaias ait, Generationem ejus quis enarrabit?

*Psal. 109.*  
*Isa. 53.*

Conjuro vos per Deum Spiritum sanctum, à Patre, Filioq; per modum voluntatis procedentem, ipse namque Spiritus sanctus utriusque amor est : Pater enim & Filius diligunt se amore ab eis procedente, qui Pater non est, nec Filius, nec accidens, sed tercia necessario persona. De qua Sanctus Augustinus ait, Est ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate perfundens omnes creaturas, pro captu earum.

*August.*

Audite Baculi impiorum, de quib. dictum est; Contrivit dominus baculum impiorum. Adjuro vos ut relinquantis quod vestrum non est per sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, essentiæ, & potestatis, Quam confitetur Apostolus cum dicit: Ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, ipsi gloria in secula.

*Isa. 14.*

*Leo, P.*

*Rom. 21.*

Adjuro vos per vestigium beatissimæ Trinitatis, in creatis, & præsertim anima rationali lucens, quæ memoria, intellectu, & voluntate viger: In memoria autem Pater ostenditur, in intellectu Filius, & in voluntate Spiritus Sanctus. Et sicut memoriæ, intellectus, & voluntatis, una est anima, ita Patris, Filii, & spiritus sancti, una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

*Vestigium*  
*Trinitatis*  
*reducet in*  
*creatis.*

*A han.*

*Aequalitas divinarum personarum in quo consistat.*

*August.*

Adjuro vos per trium divinarum personarum æqualitatem: Virtutis in posse, durationis æternæ, immensitatis, & similibus in Deo possibilium: Est enim in beatissima Trinitate in omnibus æqualitas talis & tanta, quod ut sanctus Augustin<sup>9</sup> ait: Nec est majus aliquid, vel duo, vel omnes, quam unus, nec majus aliquid omnes, quam unus, nec majus aliquid omnes, quam singuli.

*Job. 40.*

*Quomodo immensus est Deus.*

*Psal. 144.*

*Rom. II.*

*Ambr.*

Audite Bestiæ, de quibus dictum est: Omnes bestiæ agri ludunt. Impero vobis Deo ut cedatis per immensitatem infinitatis Dei, cujus sanctus Propheta meminit dicens: Magnitudinis ejus non est finis. Et incomprehensibilitatis, de qua Sanctus Paulus admirans ait: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt jucunda ejus, & investigabiles viæ ejus, Ac incircumscriptibilitatis: unde sanctus Ambrosius dicebat, Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil dimensum Trinitas habet. Atque duratione æternitatis, de qua sanctus Paulus scribit ad Timothæum: Regi sæculorum immortalis, & invisibili soli Deo honor & gloria.

*Infinitus*

*quodupliciter sit Deus*

Impero vobis per infinitatem Dei, quæ cum in eodẽ sit cum ipso idem, sicut essentia est infinita, sic & infinitas: sicut essentia Dei ita non est in aliqua re, quin possit esse in pluribus, sic ejus infinitas non ita est in aliquo, quin possit esse in pluribus & nec ita est in pluribus, quin possit esse in multis aliis. De hac loquitur Sanctus Propheta dicens: Magnus Dominus, & magna virtus ejus.

*Psal. 146.*

*Incomprehensibilis quomodo sit Deus.*

*Bernhard.*

Impero vobis per incomprehensibilitatem Dei, quæ à luce increatæ virtutis provenit: Cum Deus lucem habitet inaccessibilem, ad illamque se habeat intelligentia creata multo minus habens de perspicacitate, quam oculus Nicticoracis ad lucem solis, Dicente Sancto Bernhardo: ita Deus est in rationalibus creaturis, ut non capiatur ab ipsis. Sed si aliquo modo comprehenditur hoc est, in via per fidem, in patria autem facie ad faciem pro dignitate meritorum.

*Psal. 74.*

Audite montes superbiæ, de quibus dictum est: Neque à desertis montibus, quoniam Deus judex est. Constringo



Constringo vos hinc abire per incircumscriptibilitatem Dei, qua ipse est ubique, sed nullo capitur loco; Est enim intra omnia, cum omnia repleat: & extra, omnia præsentiali potentia suæ immensitatis. Hujus meminit sanctus Augustinus, dicens: Deus est in mundo non conclusus, extra mundum non exclusus, supra mundum non elatus, & infra mundum non depressus.

*Incircumscriptibilis quomodo sit Deus. Aug.*

Constringo vos per æternitatem Dei, qua ullo unquam tempore mensuratur, cum nulla de eo verificetur ratio temporis præteriti, futuri, vel præsentis; Præteritum enim non est sed fuit; futurum verò neque est, sed erit; Deus autem semper actu permanet. Nequaquam autem & præsens, cum semper pertranseat, Deus autem semper idem maneat, Esse namque non est accidens Deo, sed subsistens veritas, & manens causa.

*Æternus est Deus & quomodo. Hilarius.*

Constringo vos per incommutabilitatem Dei, qua impermutabilis est augmento, vel diminutione; cura dicat Propheta Malachias; Ego Deus & non mutor. Et inalterabilis, cum apud eum non sit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Atque nec secundum locum mutabilis, cum ubique præsens sit; cælum, terram implens.

*Incommutabilis quomodo sit Deus. Mala. 3.*

Audite Januæ. de quibus dictum est; Ostia tenebrofa vidisti. Expello vos per simplicitatem Dei incompositionis, & incomponibilitatis partium integralium, vel potentialium, generis & differentię, materię & formę, coacervationis unitatum, quod est, & admixtionis accidentis, & additionis corporeę substantię In Deo namque quod est, & quod habet semper idem simplicissimè & uno modo est: Unde dicit Sanctus Bernhardus; Non partibus constat Deus, ut corpus; nec affectibus distat, ut anima; nec formis substat, ut omne quod factum est.

*Job. 8. Simplicitas Dei quomodo sit.*

Expello nos per excellentiam Dei; Omnipotentię omnium bonitatis, omniscibilitatis, essendi præsentialiter ubique, potentię creandi de nihilo, operationis instantaneę, & cum quiete, factionis miraculi, cognitio-

*Excellentia Dei quomodo sit.*

nis voluntatis, suscitationis mortuorū, remissionis peccatorū, infusionis gratiæ, cōservationis perpetuæ corporis in igne, & eminentiæ omnium earum perfectionum quæ sunt in creaturis.

*Nomina  
multimodè  
de Deo di-  
cibilia.*

Expello vos per omnia nomina sancta Dei essentialia, substantiaria, & adjectiva, personalia, notionalia; Symbolica, & mystica, scilicet, Ens quod est, De<sup>9</sup>, Creator; Bon<sup>9</sup>, Ætern<sup>9</sup>, Immensus; Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Paternitas, Filiatio, Inascibilitas, Leo, Vitulus, Agnus, Atq; suavis, dulcis, & dilectus: Sed & per omnia alia, quæ non explicantur scriptura, cū sint inæstimabilia, nec lingua, cū sint ineffabilia, sed nec percipiuntur mente, cum sint incomprehensibilia.

*Dent. 32.  
Ineffabilis  
quomodo  
sit Deus.*

Audite serpētes, de quib. dictū est; Cū furore trahentiū super terrā, atq; serpentiū. Privo vos à potestate creaturæ hujus per ineffabilitatē Dei, ab ejus incomprehensibili excellētia consurgēte, unde quod ipsum explicet, nihil dici potest: Non per nomina, quia substantiā cum qualitate significāt; Non per verba, quia cū modis, formis, & tēpore sunt significativa; Non per Participia, quia sequuntur naturā Nominis, & Verbi, Nō per Pronomina, quia Dei non est demonstratio ad sensum, nec ad intellectū; Sed per alias orationes partes, quia nō sunt prædicabile: Unde Sanctus Paulus admirans ait: Incōprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.

*Rom. II.*

*Appropriata  
divinis  
personis  
quotuplicia  
sunt.  
August.*

Privo vos à potestate creaturæ hujus per appropriata divinis personis, quibus dicimus Patrem potentem, ne humana supputatione credatur impotens antiquitate; Filium sapientem, ne credatur juvenis & insipiens; Et Spiritum Sanctum bonum, ne suo credatur impetu severus, Sed & in Patre æternitatem dicimus, in Filio speciē, in Spiritu Sancto usum, Itē in Patre unitatē, in Filio æqualitatem, & in Spiritu Sancto unitatis & æqualitatis concordiam. Et itē in Patre originandi rationē, in Filio exemplandi, & in Spiritu Sancto rationem faciendi.

*Omnipotētia  
Dei  
quotupliciter  
apparet.*

Privo vos à potestate creaturæ hujus per omnipotentiam Dei, quæ apparet in mundi initio, quia ex nihilo cuncta creavit; in medio, quia ne res vertantur in nihilū, suo posse cōservat; & in fine, quia mortuos suscitabit.



Et quia Deus omnia potest omnib. modis, cū possit mutare unū cōpletum in aliud, & facere ex incōpleto cōpletū, atq; pducere de nō esse ad esse. De hac dicit S. Augustin<sup>9</sup>. Dem<sup>9</sup> Deo aliqd posse, & nos intelligere nō posse.

Audite Aves de quib. dictū est; devorabunt eos Aves morfu amarissimo, Cōpello vos exire per scientiā Dei, qua ipse cognoscit tēporalia æternaliter, sed tēporalia; futura p̄sentialiter, sed futura; contingētia infallibiliter, sed cōtingētia; creata increatē sed creata; mutabilia immutabiliter; sed mutabilia: & dependētia indepēdētē, sed dependentia; cum omnem perfectionem habeat distinctissimē ac perfectissimē omnia cognoscendi, sed propriis ac singulis cujuscumq; rei rationibus.

Cōpello vos exire per voluntatē Dei, q̄ quia recta est, nullus rect<sup>9</sup> esse potest nisi cōformet<sup>r</sup> ei; Quia est efficax, nihil sine illa, vel contra illā potest affici nec p̄ aliquē potest impediri; Et quia irreprensibilis est, nihil p̄cipit, aut permittit; nihil agit, aut consultit, nisi justē, & optime.

Cōpello vos exire per justitiā Dei, qua ipse nunq̄ redens mala pro bonis, sed aliquādo mala, p̄ malis; mala. s. p̄næ, p̄ malis culpę, sicut vulneratio momētanea cicatricē rel. q̄t p̄petuā, sic ideo ipse, p̄pter impenitentiū peccatorū tēporalē sceleris actionē, p̄petuo ulciscit<sup>r</sup> tormēto: Dicēte Joāñe; Ascēdit fum<sup>9</sup> eorū in sæcula seculorū.

Audite Dracones de quib. dictū est; Erit cubile Draconū, Anathematizo vos per misericordiā Dei, quæ illi p̄prior justitia dicit<sup>r</sup> esse, licet ira justus sit sicut misericors: Ad opus n. misericordię complendū requirit<sup>r</sup> tantū ipsius benigna voluntas, ad justitię autē, aliquid quoque ex parte hominis, exigentiā videlicet meritorū, Sed q̄d amplius? Miserationes ejus super omnia opera ejus.

Anathematizo vos per opus Dei creationis, quo ipse in principio creavit, & distinxit cælum, & terram, mare; & omnia quæ in eis sunt: non repente, ministerio Angelorum: vel temporis successu, medio naturæ: Sed per se, & imēdiate: ut in hoc differret in operando abi Angelis, qui operantur repente: & à natura, quæ successively agit. Sic Moyses intelligendus est, cum dicat, In principio

August.

Deut. 32.

Scientia  
Dei quomodo ab  
ipso cognoscantur  
omnia.

Voluntas

Dei qualis  
sit.

Justitia  
quomodo  
utitur De-  
us.

Apoc. 14.

Isa. 34.

Misericordiā  
quomodo sit  
Dei justitiā  
propriā.

Quomodo  
Deus creavit  
omnia.

cipio creavit Deus cælum & terram.

*Gen. 1.*

Anathematizo vos per incarnationem Domini nostri Jesu Christi, qua ipse sicut cum patre, & Spiritu Sancto, totum mundum creavit, sic Patre mittente, & Spiritu Sancto superveniente, in fine temporum, totum mundum recreavit; ut sicut fuerat cum Patre & Spiritu Sancto totius mundi causa efficiens, sic cum eisdem esset causa reficiens. Quare sexta mundi ætate, toto orbe in pace composito, Verbum caro factum est, & novem post conceptionem, decursis mensibus, habitavit in nobis..

*Joan. 1.  
Injuriose  
dicta con-  
tra Diabo-  
lum.*

Auditeque tandem Aspides tartarei, Reptilia, Bacul impiorum, Bestiæ agri Montes superbæ, Januæ tenebrose, serpentes furentes, Aves mordentes, & Dracones insidiantes; Ego Exorcizo vos, adjuro vos, impero vobis, constringo vos, expello vos, privo vos à corpore isto, compello vos exire, & vos anathematizo, ut cito exeatis de hac creatura Dei, & in locum vobis ab ipso deputatum eatis per omnia, quæ vos constringunt & constringere possunt. Exite ergo, Exite maledicti cum omni vestro maleficio, sine malefico artificio, de quo forsitan gloriamini, & quo tanquam ad refugium vestrum confugitis. Quid moramini? Exite cito de quacumque parte istius creaturæ Dei; De cute, de carne, de nervis, de ossibus, de medullis, de humoribus, de arteriis, de venis, de panniculis, de cartilaginibus, de juncturis, & de omni membro ejus. Exite cito per omnia dicta, & quæ dicentur ad gloriam Dei, & in contemptum & confusionem vestri, de cerebro, de capillis, de fronte, de cervice, de oculis, de naribus, de genibus, de labiis, de dentibus, de lingua, de palato, de maxillis, de quo toto capite; De gula, de collo, de humeris, de spatulis, de brachiis, de manibus: De dorso, de corde, de præcordiis, de pectore, de mamillis, de stomacho, de umbilico, de lumbis, de intestinis, de utroque clune, de fæmoribus, de genibus, de utroque crure, de pedibus, de digitis, unguibus, de vestibus, de quæ omnibus pertinentibus ad omnia enumerata, & relinquit liberam omnimode



mode hanc creaturam Dei, optimi maximi, viventis  
in sæcula sæculorum.

## EXORCIZATIO NONA,

Quæ est ex Lib. Apocalypsis beati  
Joannis Apostoli.

*¶ Stet Exorcista coram altare, & Psalmum  
dicat sequentem.*

**C**onfitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam *Psal. 137.*  
audisti omnia verba oris me. In conspectu  
angelorum psallam tibi, adorabo ad templum  
Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Super mise-  
ricordia tua & veritate tua, quoniam magnificasti super  
omne nomen sanctum tuum. In quacumq; die invoca-  
vero te, velociter exaudi me: multiplicabis in anima  
mea virtutem. Confiteantur tibi domine omnes reges  
terræ, quia audierunt omnia verba oris tui. Et cantent  
in viis Domini, quoniã magna est gloria Domini. Quo-  
niam excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à  
longe cognoscit. Si ambulavero in medio tribulationis,  
vivificabis me: & super iram inimicorum meorum ex-  
tendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.  
Dominus retribuet pro me. Domine misericordia tua,  
in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias. Glo-  
ria Patri, & Filio, &c.

*¶ Vertat se Exorcista in faciem persone obse-  
se, Lectionemq; sequentem dicat.*

Lectio Epistolæ beati Judæ Apostoli.

**C**ommonere vos volo, scientes vos semel omnia, *Juda Epist.*  
quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, *unica.*  
secundo eos qui non crediderunt perdidit. Ange-  
los verò qui non servaverunt suum principatum, Sed de-  
reliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei,  
vinculis æternis sub caligine reservavit.

*¶ Manu*

*¶* *Manu super vertice capitis personæ ob-*  
*sesse posita, dicat Exorcista sequentia Sancti E-*  
*vangelii.*

LECTIO Sancti Evangelii secundum  
Matthæum.

Cap. 15.

**S**ecessit Jesus in partes Txri & Sidonis. Et ecce mu-  
lier Cananea à finibus illis egressa clamavit dicens  
ei: Misere mei Domine, fili David, filia mea ma-  
lè à Dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.  
Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes:  
Dimitte eam quia clamat post nos Ipse autè respondens  
eit, Non sum nisi<sup>9</sup> nisi ad oves, quæ perierunt dom<sup>9</sup> Isra-  
el. At illa venit, & adoravit eum dicens: Domine adju-  
va me. Qui respondens ait: Non est bonū sumere panem  
filiorum & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Do-  
mine. Nam & canelli edunt de micis, quæ cadunt de  
mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus ait  
illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et  
sanata est filia ejus ex illa hora.

*¶* *Flectens genua Exorcista immediatè, cum*  
*omnibus astantibus, dicat Litaniæ sequentes.*

LITANIÆ.

**K**yrie eleison. R. Kyrie eleison.  
Christe eleison R. Christe eleison.  
Kyrie eleison. R. Kyrie eleison.  
Pater à quo omnia. R. Misere nobis.  
Fili per quem omnia. R. Mis. nob.  
Spiritus sancte in quo omnia R. Mis. nob.  
Sancta Trinitas unus Deus. R. Mis. nob.  
Creator sæculi. R. Deprime il.  
Gubernator mundi. R. Deprime il.  
Provisor infallibilis. R. Deprime il.  
Universorum Domine. R. Deprime il.  
Multum misericors. R. Deprime il.  
Inspirator boni. R. Deprime il.  
Refugium nostrum. R. Deprime il.

*Notabilia*  
*multa de*  
*Deo.*

*Illumina-*



Illuminator mentium. R. Deprime il.  
 Tector peccatorum. R. Deprime il.  
 Præparator voluntatum. R. Deprime il.  
 Suscitor inopum. R. Deprime il.  
 Pater Orphanorum. R. Deprime il.  
 Consolator Viduarum. R. Deprime il.  
 Erector egenorum. R. Deprime il.  
 Salus infirmorum. R. Deprime il.  
 Humilium inspector. R. Deprime il.  
 Auctor pacis. R. Deprime il.  
 Scrutor cordium. R. Deprime il.  
 Iudex mentium. R. Deprime il.  
 Cognitor omnium. R. Deprime il.  
 Firmum firmamentum. R. Deprime il.  
 Firmator Cardinum. R. Deprime il.  
 Motor Cælorum. R. Deprime il.  
 Moderator elementorum. R. Deprime il.  
 Continens omnia. R. Deprime il.  
 Director gentium. R. Deprime il.  
 Habitatior Sion. R. Deprime il.  
 Perseverator æterne. R. Deprime il.  
 Fidei auctor. R. Deprime il.  
 Spei roborator. R. Deprime il.  
 Charitatis infusor. R. Deprime il.  
 Justorum dilector. R. Deprime il.  
 Pulchritudo Angelorum. R. Deprime il.  
 Gloria Sanctorum. R. Deprime il.  
 Lux beatitudinis. R. Deprime il.  
 Sessor excelsæ. R. Deprime il.  
 Parator mirabilium. R. Deprime il.  
 Repressor violentum. R. Deprime il.  
 Dominator fortis. R. Deprime il.  
 Potens expugnator. R. Deprime il.  
 Calcator inferni. R. Deprime il.  
 Infligator pœnarum. R. Deprime il.  
 Victor Dæmonum. R. Deprime il.  
 Miserator Domine. R. Miserere nobis.  
 Domine miserator. Deprime illos.

*¶ Surgens Exorcista, facie ad altare conversamodo sequenti Deum exoret.*

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Vidi impium super exaltatum, & elevatum sicut cedros libani.

R. Et transivi, & ecce non erat; quæsi eum, & non est in ventus locus ejus.

## O R A T I O.

*Infirmi-  
tas homi-  
num tri-  
plici, tri-  
plex oppo-  
nitur re-  
medium.*

**S**Ancte, Deus, Deus fortis, fortis & immortalis qui homini; liberi arbitrii sive mentis, carnis sive sensus, & voluntatis sive affectus, ægritudine maximè languescenti de congruenti remedio Fidei, Spei, & Charitatis, per Jesum Christum Dominum nostrum, providere dignatus es; Fide scilicet, ne sapientia mundi inflatus non perciperet ea quæ tua sunt; Spe autem tuæ legi non subjectus, gloriari non posset in spe filiorum tuorum; Charitate quoque, ne pronus nimis semper ad malum, invenire non posset quem, saltem aliquando, diligeret anima ejus; Concede quæsumus propitius nobis ut quemadmodum Fide, mentem; Spe, sensum; & Charitate affectus sanasti; Fide illuminando; Spe accendendo, & Charitate delectando; Fide ostendendo, Spe docendo, & Charitate sociando: Fide incipiendo, Spe proficiendo, & Charitate perficiendo; Ut Fide videreris; Spe optareris, & Charitate diligereris; Ita contra hos malos malignosque spiritus, per fidem minari, per Spem terre, & per Charitatem fugare efficaciter, tua invisibili adveniente virtute valeamus. Itaque de coelo Sancto tuo benigne prospicere dignare super hanc facturam tuam, ut manus tua auxilietur ei, & brachium tuum confortet eam; ut nihil proficiat inimicus in ea, & filius iniquitatis non apponat nocere ei; Et ut misericordia tua non dispergatur ab ea, neque noceas ei in veritate tua; Sed ut eradicetur Diabolus, cum angelis suis apostaticis, in corpore ejus de gentibus, cum maleficiis omnibus, & in-

*cauta*



cantationum incipientum facturis : Sed ut humiles sicut vulneratus superbum : Sed & ut in brachio virtutis tuæ disperdas inimicos tuos. Usque quo igitur Domine avertis in finem ? Quo usque cibabis nos pane lacrymarum ? Usque quo exaltabitur inimicus tuus super hoc plasma tuum ? Excita Domine, excita potentiam tuā, & veni in adiutorium meum contra hos rebelles tuos, ut hinc, virtute auctoritatis tuæ devicti, fugiant, & intereant in sæculum sæculi : Tunc enim nos oves pascuæ tuæ exaltabimus te Dominum Deum nostrum, & mente prostrata, adorabimus in loco sancto tuo: añunciabimus mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem: in decachordo Psalterio, cum cantico in Cithara : laudantes nomen Sanctum tuum, cui sit honor & gloria, potestas & imperium, per cuncta semper sæcula. Amen.

*g* *Sedeat Exorcista, & sequentia compleat.*

## EXORCISMVS.

**P**ER Apocalypsim Jesu Christi, qua dedit Deus palmam facere, servis suis, quæ oportet fieri cito : & significavit mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi quæcumque vidit : vos exorcizo, ô angeli inæstimabilis malitiæ : ut nunc, & semper procul sitis ab hac creatura Dei, cum omnibus maleficiis, ac artificio noxio.

Per eum, qui testis fidelis, primogenitus mortuorū, & princeps regum terræ: vos exorcizo, ô tartaræ regionis cultores, ut procul sitis ab hac Dei creatura: & per eum, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculos, & qui pupugerunt eum, & plangent super eum omnes tribus terræ.

Per omnia signa miranda, terribiles voces, magna tonitrua, & mysticas visiones, qua Sanctus Joannes vidit : vos exorcizo, o angeli suasores mali, ut procul sitis ab hac creatura : & primo per vocem illam magnam, tanquam tubæ, quæ præcepit ei ut omnia quæ videret

*Lib. Apoc.  
in exorcizando per  
curritur.*

*Cap. 1.*

*Cap. 1.*

Cap. 1.

in libro scriberet, & mitteret septem ecclesiæ, scilicet Asiæ, Epheso, Smirnæ, Pergamo, Tyatiræ, Laoditiæ, & Sardis.

Cap. 1.

Per septem candelabra aurea: committo vobis, ò angeli sectatores superbix, ut fugiatis: Et per similem filio hominis in medio candelabrorum aureorum stantem: Per vocem illius, tanquam aquarum multarum: Per septem stellas, quas habebat in dextra sua: Per gladium utraq; parte acutum, lucens ut sol in virtute sua.

Cap. 1. 2.

E 3.

Per hæc ejus verba: Noli timere, ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni: vobis committo ut fugiatis, ò angeli demonstratores æternæ perditionis: Et per ea quæ præcipit Deus septem Ecclesiis mittere.

Cap. 4.

Per ostium, quod vidit apertum in cælo: vobis committo ut fugiatis, ò angeli odii: Et per primam vocem, quam audivit, tanquam tubæ, dicentem: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri citò, & per sedentem, & sedem, quam vidit tunc in cælo.

Cap. 4.

Per viginti quatuor sedilia, quæ erant in circuitu sedis: insurgo in vos potenter ò angeli contemplatores inferorum: & per viginti quatuor seniores, qui super thronos sedebant, & circumamicti erant vestibus albis, & in capite coronas habebant aureas: & per fulgura, per voces, & tonitrua de throno procedentia.

Cap. 4.

Per septem lampades ardentes ante thronum in vos insurgo, ò contemptores mandatorum Dei, ut festinetis fugere: & per mare quod videbatur vitreum simile Christallo: & quatuor animalia plena oculis ante & retro, quorum primum erat simile Leoni, secundum Vitulo, tertium Homini, & quartum Aquilæ volanti.

Cap. 4.

E 5.

Per verba quæ incessanter dicebant: insurgo in vos ut festinetis fugere, ò angeli maledictionis. s. Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est: Et per librum, qui scriptus erat intrus & foris, signatum sigillis septem.

Per Angelum clamantem voce magna, & dicentem:

Quis



Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? Vos o angeli tenebrarum fugere præcipio: Et per planctum beati Joannis effusum, quia nemo inventus esset aperire librum, aut solvere signacula ejus, neq; in cælo, neque super terram, neq; subtus terram.

Per agnum tanquam occisum, in medio animalium: & throni, & seniorum, habentem cornua septem, & oculos septem: vos fugere præcipio, o angeli defensores malorum: Et per acceptionem libri de dextera sedentis in throno, ab eo, ad cujus apertionem quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.

Per Citharas, & Phialas aureas plenas odoramentorum: vos, o angeli mortis, cito ex hac Dei creatura fugere præcipio, & per canticum novum seniorum, quem cantabant dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus.

Per vocem angelorum multorum in circuitu throni: vos viresq; vestras annullo, o Angeli perpetuo cruciandi: Et per vocem animalium, & seniorum, quorum numerus erat millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorẽ, & gloriam, & benedictionem.

Per apertionem quam fecit Agnus unius de septem sigillis: vos, o Angeli luctus, viresque vestras, & determinationes, & maleficia omnia, contra nostrã voluntatem, vel in personam istam, per vos, aut per vestros machinata annullo: & per unum de quatuor animalibus dicentem, tamquam voce tonitru, Veni, & vide: & vidit equũ album, & qui sedebat super illum habebat arcũ, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.

Per apertionem secundi sigilli, & per vocem secundi animalis dicentis: Veni, & vide, Vos, o Angeli depravati, viresque vestras annullo, & per mysterium equi rufi exeuntis, super quem sedenti datum est ut sumeret pacẽ de terra: datumq; est ei gladium magnum.

*Cap. 6.*

Per apertionem tertii sigilli, & vocem tertii animalis dicentis, Veni, & vide: vos, ô angeli mali malorum consules, relego in loca vobis à Deo parata, & per mysterium equi nigri, super quem qui sedebat, staterā in manu habebat, quando audita est vox dicentis: Bilibris tritici denario, & tres bilibres, ordi denario, & vinum, & oleum ne læseris.

*Cap. 6.*

Per apertionem quarti sigilli, & vocem quarti animalis dicentis, Veni, & vide: vos, ô Angeli adversarii Dei, relego in loca vobis à Deo parata, & per mysterium equi pallidi: super quem sedebat quidā, cui nomen mors, & infernus sequebatur eum, & data est ei potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

*Cap. 6.*

Per apertionem quinti sigilli, vos, ô angeli superborum vexilliferi, relego in loca vobis à Deo designata, & per animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Usquequo domine (Sanctus & verus) non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?

*Cap. 9.*

Per apertionem sexti sigilli, ad quam factus est terræ motus magnus: in vos testor ô angeli perditionis. Et per mutationem solis, & Lunæ, & montium atque stellarū: per recessum cæli: per motum montium omnium, & insularum de locis suis: quapropter omnes homines montibus dicunt, & petris: cadite super nos, quoniam venit dies magnus iræ. Et quis poterit stare.

*Cap. 7.*

Per angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes ventos ne flarent: in vos testor, ô Angeli damnati: & per Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi, clamantem voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari: Perque centum quadraginta quatuor millia signatos, ex omni tribu filiorum Israel.

*Cap. 8.*

Per apertionem septimi sigilli, à qua factum est silentium in cælo, quasi media hora; in vos testor, ô angeli prætorum & per septem Angelos stantes in conspectu

Dei



Dei, quibus datae sunt septem tubae, & per alium Angelum habentem thuribulum aureum in manu sua.

Per tonitrua, per voces, per fulgura, per terramotus, quae facta fuere ad demissionem aurei tribunalis in terram: committo vobis ut fugiatis, o angeli bonorum dissipatores: Et per mirabilia tremendaque signa, quae apparuerunt ad sonitum tubarum septem Angelorum. *Cap. 8. 59.*

Per Angelum descendantem de caelo, amictum nube, habentem in faciem quasi solis, & pedes tanquam columnam ignis, dextrum scilicet supra mare, sinistrum autem super terram: Committo vobis ut fugiatis, o angeli vitiorum, & per clamorem ejus tanquam rugitum Leonis. *Cap. 10.*

Per librum, quem sanctus Joannes accepit de manu Angeli, & devoravit juxta praecipuum ejus, in oreque ipsius erat dulcis ut mel, in ventre autem amarissimus: committo vobis, o angeli amatores libidinum, ut fugiatis. Et per duo oliva, & duo candelabra lucentia in conspectu Dei, & per ipsorum potestatem. *Cap. 10. 5 II.*

Per altam vocem tubae septimi Angeli ad quam factae sunt voces in caelo dicentes: Factum est regnum hujus mundi domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum: in vos insurgo ut fugiatis, o angeli auctores malorum omnium, & per apertionem templi Dei in caelo, & visionem arcæ Dei in illo, per fulgura, per voces & contrua magna. *Cap. 11.*

Per mulierem sole vestitam, quae apparuit in caelo, Lunam habentem sub pedibus ejus & in capite coronam stellarum duodecim, in ventremque gerebat, & clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret: in vos insurgo, o angeli caliginosae mentis, & per ejus partum. *Cap. 12.*

Per praehum magnum factum in caelo inter Archangelum Michaellem, cum sociis suis, & antiquum Draconem, & vos miseros satellites ejus qui non prevaluistis, sed victi ad ima loca confusibiliter dejecti, in vos insurgo, o angeli confusionis, & per agnum stantem supra montem Syon. *Cap. 12.*

Per centum quadraginta quatuor millia, habentes *Cap. 14.*

nomen eorum, & patrum ipsorum scriptorum in frontibus suis vos fugere præcipio, ò Angeli malorum hospites, & per vocem similem aquarum multarum, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis: Perq; vocem dicentem: Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Cap. 14.

Per similem filio hominis super candidam nubem sedentem, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam, vos fugere præcipio, ò angeli putredinis, & per mare tanquam vitreum mixtū igne, perq; illos qui vicerunt magnam bestiam, & per canticum Moyfi quem cantabant.

Cap. 18.

Per Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, à cuius gloria terra illuminata fuit, vos fugere præcipio, ò angeli celebratores infernorum & per vocem de cælo dicentem: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

Cap. 19.

Per vocem, quasi turbarum multarum, dicentem, Alleluia, Et iterum: Alleluia, Alleluia. Quoniam regnavit Dominus noster omnipotēs: vos à vexatione cessare statuo ò angeli nigerrimi caliginis: Et per eum qui sedebat super equum album, qui vocabatur fidelis & verax, habens diademata multa in capite suo, & nomen ejus scriptum, s. Verbum Dei, In vestimento autem, Rex regum & dominus dominantium.

Cap. 19.

¶ 20.

Per Angelum stantem in Sole, clamantem voce magna omnibus avibus: vos à vexatione cessare statuo, ò Angeli reprobati: & per Angelum descendentem de cælo, clavem Abyssi habentē, & catenam magnam, qui & apprehendit Draconem Serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas, & liga vit per annos mille, & misit in abyssum & clausit, & signavit super illum.

Cap. 20.

¶ 21.

Per thronum magnum candidum, & per sedentem super eum, à cuius conspectu fugit cælum & terra, vos à vexatione cessare statuo, ò Angeli hæredes æternarum pænarum: Et per civitatem Sanctam, Hierusalem novā, descen-



descendentē de cælo: perq; portas, & mysterium earum, sic distinctarum .s. ab oriente portæ tres, ab aquilione portæ tres, ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres.

Per fundamentum muri civitatis prædictæ, quorum primum erat Jaspis: Secundum, Saphyrus: tertium, Chalcedonius: Quartum, Smaragdinus: quintum, Sardonix: sextum, Sardius: septimum, Chrysolitus: octavum, Berillus: nonum, Topacius: decimum, Chrysopatius: undecimum, Hyacinthus: duodecimum. Amethystus, vos hinc abire, compello, angeli æterni luctus, & per fluvium aquæ vivæ, perque lignum vitæ, & per eum, qui cito venturus est reddere unicuique secundum opera sua, qui est radix & genus David: stella splendida, & matutina.

Cap. 21.

§ 22.

Perque tandem omnium prædictarum revelationum miranda mysteria, cum omnibus maleficiis vestris per vos patris, aut ab alio & per vos stabilitis, vos Exorcizo. ò angeli sectatores superbiæ, in vos potenter insurgo, ò angeli contemplatores inferorum: vos viresq; vestras annullo, ò angeli perpetuo eruciandi: vos relego in loca vobis à Deo parata, ò angeli mala malorum consules: in vos testor, ò angeli perditionis: committo vobis ut fugiatis ò angeli bonorum omnium dissipatores: in vos insurgo, ò angeli auctores malorum omnium: vos fugere præcipio, ò angeli malorum hospites: vos exire statuo, ò angeli nigerrimi caliginis, atque vos hinc abire compello, ò angeli æterni luctus. Fugite ergo, abite, recedite: Fugite per illam Potentiam, quæ potest hinc vos fugare: abite per illam Sapientiam, quæ vos confestim facere scit hinc abire, & recedite per illam Bonitatem, quæ vult vos hinc recedere: Fugite in nomine Patris, abite in nomine Filii, & recedite in nomine

Iniuriosè  
dicitur multa  
contra  
Diabolum.

Spiritus sancti: qui in unitate perfecta vivit,  
& regnat in sæcula sæculorum.

FINIS EXORCIZAT.

L 4

PRA-

# PRACTICÆ EXORCISTARUM.

F. VALERII POLIDORI PATAVINI, Ord. min. Conventualium; Artium, & Sacræ Theologiæ Doctoris; Ad Dæmones, & Maleficia de Christi fidelibus pellendum, Postexorcizationes incipiunt.

## POSTEXORCIZATIO PRIMA,

Quæ est præceptum egressis spiritibus  
faciendum.

*¶ Quando Exorcista vult Exorcizatione dimittere, spiritibus egressis, forma sequenti, stando, præceptum faciat.*

Lectio Actuum Apostolorum.

*Act. 16.*



Actum est euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Phytionem obviare nobis quæ questum magnum præstabat; dominis suis divinando, Hæc secuta Paulum & nos, clamabat, dicens: Iste homines servi excelli sunt, qui annunciant nobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit, Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exi ab ea. Et exiit eadem hora.

Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum.

*Mar 9.*

Interrogavit Jesus populum dicens: Quid inter vos queritis? Et respondens unus de turba dixit: Magister Attuli ad te filium meum habentem spiritum mutum qui ubique eum apprehendit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & are scit. Et dixi discipulis tuis ut eicerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quâ diu apud vos ero? Quandiu



vos patiat? Afferte illū ad me. Et attulerunt eū. Et cū vidisset eū, statim spiritus conturbavit illū, & elisus in terrā volutabat spumans. Et interrogavit patrē ejus; **Quantū** tēporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia. Et frequenter eum in ignem, & in aquam misit, ut eum perderet. Sed si quid potes, adjuva nos, miserus nostri. Jesus autem ait illi; Si potes credere, omnia possibilisunt credenti. Et continuo exclamans Pater pueri cum lacrymis aiebat; Credo domine; adjuva incredulitatē meam. Et cum vidisset Jesus concurrentem turbā, cōminatus est spiritui immundo dicens illi; Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum, Et exclamans & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent; quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum, & surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum; **Quare** non potuimus ejicere eum? Et dixit illis; Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.

*g Erigat, nunc acceptam, manu dextera, crucem & dicat.*

**P**ER unum solum verum deum, per duo sanctæ legis gratiæ præcepta; per tres virtutes Theologicas, per quatuor virtutes Cardinales, per mysterium quinque virginum prudentum; per sex dierum conditionis opus; per septem dona Spiritus Sancti; per octo beatitudines; per novem choros Angelorum; & per decem Sanctæ legis scriptæ præcepta, ego præcipio vobis, maledictis spiritibus, qui à corpore isto, virtute Dei, ejecti fuistis; quatenus procul hinc abeuntes à persona, sive loco in quo fuerit hæc creatura Dei continuo discedatis, nec vobis potestas ulla remaneat eam vexandi; aut etiam leviter molestandi; per vos, sive per alios; in sensu, sive fantasia; operatione intrinseca sive extrinseca; in corpore, sive anima, nec in eam iterum regrediendi; sed constricti sitis ad loca illa infernalis horroris, vel vastæ solitudinis, vobis à Deo parata

*Ab uno usque ad decem Sancta mysteria numerantur.*

confugere ; ubi nulli, usu nequitia vestra, molesti sitis,  
nec nocere valeatis in sæcula sæculorum.

*¶ Deposita Cruce, & aqua benedicta recepta, aspergat personam, & circumspergat locum, dum dicit.*

Discedant omnes insidia latentis inimici ; & siquid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat ; per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

## POSTEXORCIZATIO SECUNDA.

Quæ est præceptum spiritibus in corpore remanentibus, faciendum.

*¶ Sedeat Exorcista quando vult rivos Exorcizationum claudere, & malignis spiritibus in corpore obsessoremanentibus præcipiat, forma immediate sequenti :*

### Lectio Isaiaæ Prophetæ.

Isa. 26. &  
27.

**E**Xpergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gygantium detrahes in ruinam. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & revelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultra interfectos suos. In die illa visirabit dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, & super Leviathan serpentem vecte, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est.

Sequen-



## Sequentia Sancti Evangelii secundum

Lucam.

**R**everſi ſunt ſeptuaginta cum gaudio, dicentes; Domine, etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis. Videbā Sathanā ſicut fulgur de celo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatē calcādi ſupra ſerpentes & Scorpiōnes & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur; Gaudere autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

Luc. 10.

**¶** *Manu poſita ſuper caput Perſonæ obſeſſæ dicat immediatè ſequentia, quibus remanentes in corpore ſpiritus in aliqua parte corporis ligantur.*

**Q**uid gloriaris in malitia, Princeps ſceleſte, ac maledicte ſpiritus, qui primus es ex his quæ remāſerūt in corpore iſtius creaturæ Dei? Vosque cæteri, dicite; Quorſum furor vobis eſt ſecundum ſimilitudinem ſerpentis? Sicut Aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas? Deus conteret dentes veſtros in ore veſtro; ad nihilum devenietis ſicut aqua decurrens; & ſicut deficit cerra à facie ignis, ſic deficientis à facie omnipotentis; in cujus virtute vobis omnibus mando, quatenus univerſa totius corporis iſtius creaturæ Dei partes deferentes, nunc, ſine læſione ejuſdem, in digito minori pedis dextri descendentes, ibi ita placidè quieſcatis, quod nullam ſenſibile offenſionis ſignum ipſi præbeat: Nec nulli veſtrum liceat motus aliquos naturales, aut operationes neceſſarias, vel voluntarias impedire. Sed ſinatis ipſam omnia illa peragere, quæ ad gloriam Dei pertinent, ad ſalutem animæ ſuæ, ad utilitatem proximi, & ad ſibi, & omnibus debitum convenientiæ ſive neceſſitatis ſolvendum: Hoc autem vobis præcipio per merita glorioſæ virginis Mariæ, & per hæc ſancta nomina ejus; Mater Dei, Virgo virginum, Ancilla domini, Speculum immaculatum, Sedes ſapientiæ, Arca fœderis, Vas auri ſolidū, Domus domini, Templū Dei animatū, Pelles

*Ligatio  
Spirituum  
qui in corpore remāſerunt.  
Pſal. 57.*

*Maria  
virginis  
nomina.*

Pelles Salomonis, Tabernacula Cedar, Liliū inter  
 spinas, Virgula fumi, Fons signatus, Puteus aquarum,  
 Amicta Sole, Pulchrior Luna, Stella maris, Arcus reful-  
 gens, Rubus incomabustus, Porta domus domini, Ci-  
 viras Dei, Hortus conclusus, Delictis affluens, Scala  
 cæli; Flos cæpi, Oliva speciosa, Plantatio Rosæ, Regina  
 cælorum, Turris eburneus, Aurora consurgens, Nubes  
 operiens, Atq; per omnia sancta nomina ejus. Itaq; ne-  
 mini vestrum nequaquam inde recedere præsumere li-  
 ceat, sine vel consensu divino; vel obtento Exorcistico,  
 per virtutem domini nostri Jesu Christi & per mysteriū  
 horum sanctorum ejus nominum; Verbum, Emanucl,  
 Gheber, Soter; Christus Rex regum, Dux in miseri-  
 cordia, Princeps pacis, Vir, Oriens, Dayyam, Domini<sup>9</sup>  
 justus, Legifer, Magister, Filius, Primogenitus, Unige-  
 nitus, Puer nobis datus, Mediator, Pontifex, manus,  
 Caput, Os domini, Redemptor, Sponsus, Propheta  
 magnus, Medicus animarum, Pastor bonus, Angelus  
 testamenti. Leo de tribu Juda, Virulus saginatus, Agn<sup>9</sup>  
 Dei, Ovis occisionis, Passer solitarius, Serpens in ligno,  
 Arbor vitæ, Vitis vera, Radix David, Flos de radice,  
 Fructus suavis, Granum frumenti, Panis vivus, Cibus  
 viatorum, Imber temporaneus, Sol Justitiæ, Stella ex  
 Jacob, splendor gloriæ, Lux vera, Imago, Sapientia,  
 Virtus, Veritas, Fons pietatis, Origo, Gloria, Salus, Vi-  
 ta, Oriens ex alto, Ostium ovium, Via cæli, Mons præ-  
 paratus, Clavis David, Petra percussa, Lapis angularis,  
 atq; per omnia alia sancta nomina ejus. Quod si perfec-  
 re neglexeritis; missi sitis in stagnum ignis & sulphuris,  
 furore inimicorum vestrorum, per annos mille, ab hora  
 exitus vestri numerandos, Fiat itaque, fiat in  
 nomine Patris, & Filii, & Spiritus  
 Sancti † Amen.

*Jesu Chri-  
 sti nomina  
 multa.*

POSTEX-



## POSTEXORCIZATIO TERTIA,

Quæ est maledictio contra nimis obstinatos Dæm.

¶ Stet Exorcista dum sequentia Demoniaci presente dicit.

Lectio lib. Tobie

**V**ocavit Raguel ad se Annam uxorem suam, & præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum. Et intro duxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est. Dixitq; ei; Forti animo esto filia mea. Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpeffa es. Postquam verò cænaverunt, introduxerunt juvenem ad eam. Recordatusq; Tobias sermonum Angeli protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitq; eam super carbones vivos. Tunc Raph. Ang. Apprehendit Dæmonium, & religavit eum in deserto superioris Ægypti.

Tob. 7. 58.

Sequentia sancti Evang. secundum Joannem.

**D**ixit Jesus: Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, clarifica me ex hac hora, Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomē tuum Venit ergo vox de cælo, dicens: Et clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruū esse factum. Alii autē dicebant: Angelus ei loquutus est. Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, Sed propter vos. Nunc judicium est mundi. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipsum.

Joan. 12.

¶ Genibus flexis continuo dicantur Lit. seq.

## LITANIÆ.

Notabilia  
dicta de  
Deo.

**D**omine Deus exercituum. R. Te rogamus, audi nos.

Domine Deus ultionum. R. Te rog. audi. n.

Domine Deus fortis. R. Te rog. audi nos.

Domine, qui superbis resutis. R. Te rogamus audi nos, &.

Domine,

Domine, qui nos pietate tua cōsolaris. R. Te rog. audi n.  
 Domine, qui nobis auxilium impendis. R. Te au. nos  
 Domine, qui actus nostros dirigis. R. Te r. audi nos.  
 Domine, qui pietate vota prosequeris. R. Te r. au. nos.  
 Domine, qui infirmitatem nostrā respicis. R. Te rogamus audi nos.

Domine, qui poenitentiam peccatorum quaris. R. t. a. n.  
 Domine, qui humiliatione flecteris. R. Te ro. audi nos.  
 Domine, qui satisfactione placatis. R. Te. rogamus a. n.  
 Domine, qui nos tibi facis esse devotos. R. Te ro. a. n.  
 Domine, qui mundum Sacramentis reuovas. R. T. r. a. n.  
 Domine, qui dispersa congregas. R. Te rogamus au. n.  
 Domine, qui congregata conservas. R. Te ro. audi nos.  
 Domine, qui omni potentiā parcēdo manifestas. R. t. a. n.  
 Domine, qui merita supplicum excedis. R. Te. ro. a. n.  
 Domine, qui mirabilia operaris in minimis. R. t. r. a. n.  
 Domine, qui contritorum non despicias gemitū. t. r. a. n.  
 Domine, qui merentium non spernis affectū. R. t. r. a. n.  
 Domine, qui tribulatos corde sanas. R. Te rog. audi n.  
 Domine, qui mortificatos lætificas. R. Te rog. au. nos.  
 Domine, qui nimis elatos confundis. R. Te rog au. n.

*Hic incipiat Exorcista sacra stola Diabolum percutere, ex levi personæ obfessæ flagellatione, & dicat immediate sequentia.*

*Iniuriosè  
 dicta mul-  
 tū, contra  
 Diabolum*

Ut hos tuæ majestatis adversarios confundere digneris.  
 R. Te rog. audi nos.

Ut hos dilectores peccatorum, arguere digneris. R. Te rog. audi nos.

Ut hos malos oppressores flagellare digneris. R. Te ro. audi nos.

Ut hos blasphematores tuos, deprimere digneris. R. Te rog. audi nos.

Ut hos spiritus impuros deponere digneris. R. Te rog. audi nos.

Ut hos nequitia subtiles prosternere digneris. R. Te rog. audi nos.

Ut hos nocendi cupidos coniungere digneris. R. Te rog. audi nos.

Ut hos



Ut hos superbia tumidos disperdere digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos suasores boni propter malum, percutere digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos suasores mali sub spe boni, contorquere digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos dissuatores mali propter pejus, tormentare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos peccatores impoenitentes, dissipare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos nullo suggerente peccantes, condemnare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos resistentes dexteræ tuæ, excommunicare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos nimis malignos maledicere digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos maledictos etiam maledicere digneris. R. Te rogamus audi nos.

Ut hos maledictos etiam atque etiam maledicere digneris. R. Te rogamus audi nos.

*¶ Percussione completa, simul cum precedentibus, sedeat Exorcista, dicatq̄,*

**E**GO minister & servus Dei, & domini nostri Jesu Christi, qui discipulis suis & nobis super Dæmonia calcandi potestatem reliquit, tota vi & conatu animæ & corporis, in quantum auctoritas super me vos se extendit, ante tribunal invisibilis majestatis Dei vivi & veri suos, quomocumq; præsentis contemno, anathematizo, & nunc & hic pro semper & ubiq; vos maledico apud omnem creaturam maledictos esse declaro, propter nimiam temeritatem, temerariam superbiam, & superbam obstinationem vexationis vestræ, maledicti ideo sitis in omni membrorum compagine hujus creature Dei, Maledicti sitis in partibus, essentialibus, integralibus, substantialibus; accidentalibus, majoribus, minoribus, interioribus, exterioribus, superioribus, inferioribus, anterioribus, posterioribus, lateralibus, pilis, superfluitatibus,

*Maledicuntur Dæmones in omni parte corporis.*

bus, coadherentibus, vestibus, & in omnibus, ipsi pertinentibus. Maledicti sitis in cute, in carne, in nervis, in ossibus, in medullis, & in omnibus humoribus ejus.

*Maledi-  
cuntur De-  
mones in  
omni loco  
mundi.*

Maledicti etiam sitis extra corpus hoc in omni loco dominationis Dei nostri, in igne, in aere, in aqua, in terra; maledicti sitis sursum, deorsum, in oriente, occidente, septentrione, & meridie: maledicti sitis in volucris caeli, in brutis terræ, inq; piscibus maris; maledicti sitis in omnibus aquis, in mari, in abyssis, in lacub, in stagnis, in fluminibus, in torrentibus, in rivis, in fontibus, in puteis, in cisternis, & balneis; maledicti sitis in pluvia, in nive, in grandine, in pruina, in rore, in glacie, in vaporibus, in caligine, in tenebris, & in luce; Maledicti sitis in montibus, in collibus, in vallibus, in planis, in campis, in pratis, in hortis, nemoribus, in sylvis, in solitudinibus, in inviis, in cavernis & speluncis; maledicti sitis in omni provincia mundi, in insulis, in civitatibus, in castris, in villis, in domibus, in plateis, in viis omnibus, in animalibus, in arboribus, in plantis, in oleribus, atque tandem maledicti sitis & blasphemati in omni anno, mense, hebdomada, die, nocte, hora, & momenta, & ab omnibus, & in omnibus, & per omnia.

*Maledi-  
cuntur De-  
mones om-  
ni maledi-  
ctione que  
habetur in  
sacris litte-  
ris.*

*Gen. 3.*

*Deut. 27.*

*Gen. 9.*

*Gen. 27*

*Gen. 29.*

*Deut. 21.*

*Deut. 27.*

*Num. 5.*

*Iosua. 6.*

Maledicti quoque sitis inter omnia animantia & bestias terræ, Sicut qui facit sculptile; sicut qui transfert terminos proximi sui; sicut qui errare facit cæcum in itinere: sicut qui pervertit iudicium advenæ, pupilli, & viduæ; sicut qui clara percutit proximum suum; sicut qui accipit in unera ut percutiat animam sanguis innocentis, & sicut nolens audire vocem domini, nec permanere in sermonibus legis, neq; eos opere perficere; Maledicti sitis sicut Chanaâ; sicut in maledicentes Abraham; sicut furor Simeonis & Levi: Sicut omnis qui pæder in ligno; Sicut qui non honorat patrem & matrê; sicut mulier alieno viro polluta; Sicut vir qui suscitasset & edificasset civitatê Hiericho: Maledicti sitis sicut qui ausi sunt maledicere exercitui Dei vivêntis, sicut pueri qui illecebant Eliseo; sicut qui declinât à mandatis dominis  
sicut



sicut impii quorum infelix & vacua spes est: sicut susurro & bilinguis: sicut peccator centum annorum: sicut homo qui confidit in homine. Maledicti sitis sicut, qui facit opus domini fraudulenter: sicut dolosus, qui habet in grege suo masculum & immolat debilem domino: sicut qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis: & sicut qui à sinistris erunt in die universalis iudicii, à domino nostro Jesu Christo dicente: discedite à me maledicti in igne æternū, qui paratus est Diabolo & angelis ejus: Maledictique tandem sitis hic, & ubique: & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

1. Reg. 17.  
4. Reg. 2.  
Isal. 118.  
Sap. 3.  
Ecel. 28.  
Isa. 85.  
Iere. 17.  
Iere. 48.  
Mal. 1.  
Gal. 3.  
Matt. 25.

¶ Effigie, & nomine principalis obsidentis spiritus dispositis, sicut Cap. 16. præfationis insinuat: igne, parato, atq; suffumigatione, sicut ibidē dicitur, Recipiat Exorcista.

Continuat  
tio compres  
sionis.

Assæ fetidæ, & )  
Sulphuris ) An, Drac. iij.  
& sint ex benedictis: benedictione quæ habetur in præfat. Cap. 15.

Suffumi  
gationis  
addita  
menta.

Salis communis parum.  
Quibus omnibus addat  
Foliorum Olivæ, & )

Lauri ) Ad libitum.

Et factō super ista duo signo sanctæ crucis, dicat:  
Per crucis hoc signum † pellatur omne malignum:  
in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.

¶ Et aspergantur aqua benedicta, illicq; hæc omnia projiciantur in ignem, reassumptaq; Exorcista carta membrana effigiata ut dictum est in præfat. Cap. 16. ipsam super ignem, in nebula fumini ducat dicendo:

Combustio  
nis imagi  
nis Dæmo  
num for  
ma.

Pereat memoria eorum cum sonitu, & dominus in æternum permanet: Paravit in iudicio thronum suum & ipse iudicabit populos in æquitate, iudicabit populos in iustitia.

M

Nubes,

Nubes, & caligo in circuitu ejus: justitia & judicium correctio sedis ejus. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Psal. 9.

Psal. 69.

Quomodo facti sunt in desolatione, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium Surgentium, domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

*¶ Chartam effigiatam prædictam immediate in ignem dejiciat, & surgens, signum crucis versus Demoniacum faciat, dum maledicit Demones dicendo.*

Psal. 72.

Maledicat vos omnipotens Deus: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. †. Amen.

### POSTEXORCIZATIO QUARTA.

Quæ est gratiarum actio, pro persona liberata.

Lectio libri Ecclesiastici.

Ecc. 51.

**C**onfitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum salvatorem meum, Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi, & liberaisti corpus meum à perditione, à laqueo lingue iniquæ, & à labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es, mihi adjutor. Et liberaisti me secundum multitudinem misericordiarum nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me, & in medio ignis non sum æstutatus. De altitudine vetricis inferni, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacii, & à rege iniquo, & à lingua injusta. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. Memoratus sum misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt: quoniam eruis sustinentes te Domine.

*¶ Et flexis genibus subjungat.*

V. COR.



V. Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

R. Quomodo audisti omnia verba oris mei.

### ORATIO.

**C**lementissime Domine Deus noster, cujus misericordia plena est terra, qui secundum magnam misericordiam tuam Abraham de Ur Chaldæorum, Samsonem à Philisteis, & Danielem de lacu leonum mirabiliter liberaſti: Secundum quam, etiam respicere dignatus es de sancta sede magnitudinis potentie tue super hanc facturam tuam & eam à Chaldæis, Philisteis, & Leonibus infernalibus liberare: largire quæsumus propitius nobis, ut pro tanti tue gratie beneficii accepti, in gratiarum semper actione maneamus: Et præſta ut effugiant ita de mente & anima hujus facturæ tue immundorum spirituum prævalentes tentationes, sicut de corpore credimus effugisse: omnemque nefariam vim Diaboli, omnemque figuram fantasmaris Sathanæ ab ipsa, & à nobis procul pellere, & Spiritum tuum donare digneris, ut veniens iterum Diabolus, non domum nostrum inveniatur scopis mundatam & ornatam, & assumens septem alios spiritus nequiores se, in nobis habitet, fiantque novissima pejora prioribus: sed assistentem gratiam tuam in nobis comperientes, timeant, confusi fugiant, & victi recedant. Per te Patrem æternum, qui liberatorem misisti Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui verè languores nostros tulit, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti, in sæcula sæculorum, Amen.

### POSTEXORCIZATIO QUINTA

Quæ est Benedictio personæ liberatæ.

**D**eus misereatur nostri, & benedicat nobis. illuminet vultum super nos & misereatur nostri. Vt *co. Psal. 66.* cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus generibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Letentur & exultent gentes, quoniã judicas populos in æquitate, & gētes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur ti-

bi populi omnes: terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus & metuant eū omnes fines terræ. Gloria Patri, & Filio & Spiritui, &c. V. Hic accipiet benedictionem è domino. R. Et misericordiam à Deo salutaris suo.

## O R A T I O.

**D**omine Deus, cælestium benedictionum largus diffusor, qui manum tuam aperis & imple omnem animal benedictione, aperi quæsumus benedictionum tuarum efficacissimam abundantiam super hanc creaturam tuam, sanguine Jesu Christi filii tui Domini nostri redemptam, quam etiam pietati tuæ à Dæmonio placuit liberare, & ipsam benedicere, † & sanctificare digneris, ne ulla in ea potestas inimici remaneat, terror aliquis, sive infestatio: nec amplius in incantationes, artes, vel facturæ Dæmonum, hominum, sive mulierum locū habeant occupandi, sed da signum in faciem ejus, ut inimici visibiles & invisibiles videntes timeant, ut cognoscentes contremiscant, & intelligentes mysteriū paveant: confundantur, fugiant, & recedant, ut creatura hæc tuæ benedictionis gratia confirmata, liberius scrutetur mandata tua, & exerceatur in justificationibus tuis semper. Per te verum Deum omnium, cui benedictio competit, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio: honor, virtus, & fortitudo, in secula seculorum. Amen.

*Psal. 145.*

*¶ Et conversus ad personam liberatam dicat.*  
Benedicat tibi Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram. †

## POSTEXORCIZATIO SEXTA

Quæ modus dicitur liberationis à Dæm, incubis & succubis.

*Novem sunt, quæ valent ad Dæm, incub. & Succ. pellendum.*

**D**ivina non desunt remedia, adjumenta que humana pro Dæmonibus incubis & succubis pellendis, quæ etsi multa sint, ad novem tamen principalia reducuntur, Quorum.

*¶ Pri-*



¶ *Primum est Confessio, qua se, vexata persona, totiens à peccatis abluat, quotiens in peccatum se prolapsam noverit, vel conscientie stimulus invitaverit: aut determinatè, Saltem semel in hebdomada.* Confessio.

¶ *2. est Sacratiss. Eucharistia communio, qua diebus saltem Dominicis, vel etiam cujusq; festivitatis, celebretur.* Eucharistia.

¶ *3. est Oratio. Pro qua persolvenda, à Sancta Ecclesia multa commendantur; Sed & Psalmos habes in Prefatione consignatos: C. 7. f. 6. & 7.* Oratio.

¶ *4. est Demonis conjuratio, qua persona vexata presente fiat. Huic autem usui, Exorcismus Exorcizationis tertiæ, Fol. 84. mutato plurali in singulari numero, deputabitur: ultima ejus tantum parte derelicta, qua dicitur: perq; tandem omnium predictarum, &c.* Coniuratio.

¶ *5. est vexate persona Benedictio, & erit illa, que habetur in tota Postexorc. 5. Tantum in oratione particula mutata, que hoc indice notatur. (Ideo sicut ibi dicitur: Placuit. Hic dicatur: Placeat. Et fiat quotidie à Sacerdote super personam vexatam.* Benedictio.

¶ *6. est Excommunicationis sive Maledictionis in Spiritum malum late. Excommunicatio, autem hujusmodi sive maledictio commodè haberi poterit in Postexorc. 4. post Litanias ejusdem Postexorci. Ibi initium sumendo, Ego minister & servus Dei, &c. Ibiq; inclusivè, terminando. Et in secula seculorum Amen: mutato tamen plurali in singulari numero,* Maledictio.

*Locorum  
mutatio.*

¶ 7. est locorum permutatio. Videlicet de domo in domum, ad inhabitandum, de civitate in civitatem, & huiusmodi.

*Radices  
Tussilaginis.*

¶ 8. tale est: R. Radicum Tussilaginis majoris, in pulverem contritarum, duarum Drachmarum pondere, & sumatur pulvis in vino, atq; deinde sudare cogetur patiens persona.

*Grana  
Paoniae.*

¶ Et 9. tale est: R. Quindecim granorum nigrorum Paoniae feminae rediganturq; in pulverem, & ex vino multo sumantur.

### POSTEXORCIZATIO SEPTIMA.

Quae ordo dicitur domum à Dæmone perturbatam liberandi.

*Quomodo  
liberetur  
domus à  
Dæmone  
vexata  
officio heb-  
domedario.*

¶ Domus, quae dicitur à Demonibus vexari, singulis unius hebdomadae diebus à Sacerdote visitetur, & de die in diem procedatur ut infra.

¶ Die Lunae, cum Sacerdos ad Januam domus pervenerit, clausa Janua dicat juxta ipsam stando.

*Officium  
die Lunae.*

V. Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

V. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

R. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Psal. 12.*

**D**omini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitabant in eo. Quia ipse super maria fundavit eum, Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus; & mundo corde, qui non accepit in vano animam



mam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. Attollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Gloria Patri, &c.

V. Introibo in domum.

R. Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

## ORATIO.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis: Per Christum Dominum nostrum. Et supplices te rogamus, ut sicut Ezechia Rege suadente, opere sanctificatorum Sacerdotum & Levitarum, valvas aperiri, & domum tuam mundari voluisti: ita ministerio nostro, domum hanc à Dæmonibus perturbatam liberare digneris: Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in Unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

*¶ Die Martis, Servatis, eo modo & forma, omnibus diei Lune deputatis: Versiculo orationis, & oratione excepta: Cum pervenerit ad finem Versiculi ultimi scilicet, Sicut erat in principio, &c. Psalmi Domini est in terra, &c. Aperiatur Janua domus, & Sacerdos in ejus limine dicat,*

## Lectio libri Regum.

*Officium  
die Martis.  
1. Reg. 5.*

**P**hilistiim tulerunt arcam Dei, & asportaverunt eam à lapide adjutorii in Azorum. Tuleruntque Philistiim arcam Dei, & intulerunt eam in templo Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azozii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra, ante arcam Domini. Et tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumq; mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra, coram arca Domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.

V. Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugii. R. Ut salvum me facias.

## O R A T I O.

**D**eus, qui miro ordine Angelorū ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut quibus, tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur: Per Christum Dominum nostrum. Et clemens adesto, ut sicut Salomon cepit in usum majestati tuæ, in Moria monte demonstrato David Patri suo, domum construere: ita ex hac domo, Sanctorum angelorum opere, expulso Dæmone, pacificè in usum hominum cadat: Per eundem Dominum nostrū Jesum Christum, &c.

*¶ Die Mercurii omnibus pro die Luna, & Martis dispositis, eo modo servatis, exceptis Versic. Orationis, & Oratione diei Martis, in primo domus introitu sive ambitu, dicat.*

Lectio Danielis Prophetæ,

**V**enit Rex cū Daniele in templo Belis. Et dixerunt Sacerdotes Belis: Ecce nos egrediemur foras, & tu Rex



Rex pone escas & vinum misce, & claude ostium, & signa annulo tuo. Et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta à Bel, morte moriemur, vel Daniel, qui mentitus est adversum nos. Confidebant autem quia fecerunt sub mensa absconditum introitū, & per illum ingrediebantur semper, & devorabant ea. Factum est igitur postquam egressi sunt illi, & Rex posuit cibos ante Bel, præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem. Et cibavit per totum templum coram Rege, & egressi clauserunt ostium, & signantes annulo Regis, abierunt. Sacerdotes autē ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, & uxores & filii eorū, & comederunt omnia, & biberunt, surrexit autē Rex primo diluculo, & Daniel cū eo. Et ait Rex: Salva ne sunt signacula Daniel? Qui respondit: Salva, Rex, Statimq; cum aperuisset ostium: incuitus rex mensā exclamavit voce magna. Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam. Et risit Daniel, & tenuit Regem ne ingrederetur intro, & dixit: Ecce pavimento, animadvertite cujus vestigia sunt hæc? Et dixit Rex: Video vestigia viro- rum ac mulierum, & infantium; Et iratus est Rex. Tunc apprehendit Rex Sacerdotes & uxores, & filios eorum, & ostenderunt ei abscondita ostiola per quæ ingrediebantur & consumebant, quæ erant super mensā. Occidit ergo illos Rex, & Bel tradit in potestatem Danielis, qui subvertit eum, & templum ejus.

V. Beati qui ambulant in domo tua Domine.

R. In sæcula sæculorum laudabunt te.

### ORATIO.

**D**eus, cujus dextera Beatorum Petrum in fluctibus, Æne mergeret, erexit, & coapostolum ejus Paulū tertio naufragentē de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius & concede, ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Atque domum hanc benignè respicere digneris, quam à Dæmonio novimus molestatam, ut sicut in Hierusalem, expleto templo & ora-

tione Salomonis, gloria tua, domum tuam, coram filiis Israel implevit; ita coram nobis, à te, ministerio nostro, domo ista purgata, in ipsa & in nobis gloriosus appareas. Per te eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eodem Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

*¶ Die Jovis, servatis quibuscumq; servandis, dimissisq; dimittendis, ut de die Lunæ, Martis, & Mercurii suis locis deducitur, ac etiam Versiculis, & oratione diei Mercurii prætermisissis, mediam partem domus visitet, dum dicit.*

LECTIO libri Job.

*Officium  
diei Jovis,  
Job. 40.*

**D**ixit Dominus ad Job: Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus. Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testicularum ejus perplexi sunt. Ossâ ejus velut fistulæ aris, cartilago illius, quasi laminæ ferreæ. Ipse est principium viarum Dei: Qui fecit eum applicabit gladium ejus, huic montes herbas ferunt. Omnes bestię agri ludunt ibi, sed in umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt umbrę umbrâ illius, circumdabunt eum salices torrentis. Ecce absorbebit fluviũ, & mirabitur, & habet fiduciã quæ influat Jordanis in os ejus. In oculis ejus quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares ejus. An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguã ejus? Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillas ejus? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum? Nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, dividant illum negotiatores? Nunquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustium piscium capite illis? Pones super eum manum tuã. Memêto belli, nec ultra addas loqui. Ecce spes ejus frustrabitur, & videntibus cunctis præcipitabitur.

V. Domi-



V. Domine dilexi decorem domus tuæ.

R. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

## O R A T I O.

**D**Eus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere & de ejus temper consolatione gaudere: Per Christum Dominum nostrum. Atque concede nobis famulis tuis, ut sicut domus tua, te in solio excelso sedente, gloriæ tuæ repleta est fumo: ita te assistente domus hæc tua gratia repleatur, ad omne opus Diaboli repellendum: Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia secula sæculorum. Amen.

*¶ Die veneris, usu præmissis omnium eorum quæ habentur die Lunæ, Martis, Mercurii, & Jovis, aliorumque, ut ibi ostenditur, dimisso: simul cum Versiculis Orationis, & Oratione, ut in aliis diebus, per totam domum descendens, & ascendens, dicit.*

Lectio S. Evangelii secundum  
Lucam.

**S**urgens Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febrim, & dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum; at ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem Dæmonia à multis clamantia & dicentia; quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

V. Elegi abjectus esse in domo Dei mei.

R. Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

## O R A T I O.

**D**Eus, qui unigeniti filii tui precioso sanguine vivificæ crucis vexillum sanctificare voluisti, concede quaesum.

*Officium  
diei Veneris.*

*Luc. 4.*

quæsumus; ejus qui ejusdem sanctæ crucis gaudet honore, tua quoq; ubique protectione gaudere. Per eundem Christum Dominum nostrum. Et largire digneris, ut ita in domo hac clementer assistas, ad fraudes Diabolicas vertendas, sicut etiam secundo Salomoni Regi, in domo tua per ipsum expleta, benignè apparere voluisti; Per eundem etiam Dominum nostrum Jesum Christum filium tuū, qui tecū vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorū. Amen.

*¶ Die Sabbathi, cōmissis omnibus in die Lune, Martis, Mercurii, Jovis, & Veneris, dispositis: aliisq;, ut notulis in illis locis declaratur, simul cum Versiculis Orationis, & Oratione omissis, totam domum perquirens, dicit.*

Lectio S. Evangelii secundum  
Marcum.

*Officium  
diei Sabbati.  
Mar. 3.*

**S**piritus immundi cum Jesum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es filius Dei, Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo, & mitteret illos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmos, & ejiciendi Dæmonia.

V. Passer invenit sibi domum.

R. Et turtur nidum, ubi reponat pullos suos.

O R A T I O.

**C**oncede nos famulos tuos, quæso Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosæ beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsentis liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia: Per Christum Dominum nostrum. Atq; nobis supplicibus præsta, ut sicut Sacerdotibus, de Sanctuario exeuntibus, nebula gloriæ tuæ totā domum tuam implevit, ita domū hanc nobis introeuntibus, gratia tua collustret, ut omni virtute Diabolicæ vexationis sublata, sit habitaculum hominum omni benedictione repletum. Per eundem  
Dominum



Dominum nostrum Jesum Christum filium, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*¶ Die Dominico cum Sacerdos in ampliori, sive nobiliori loco domus extiterit, Exorcismum hunc contra perturbatores Dæmones dirigat dicendo.*

**E**Xorcizo vos Dæmones, qui hanc hominum habitationē temerē invadere, & habitatores suos molestissime inquietare præsumitis, per Deum trinū & unum, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi, qui habitant in eo; Per dominum nostrum Jesum Christum, qui manens quod erat, se fecit hominē de spiritu sancto conceptum, & ex virgine natū, quiq; pro nobis, cum multa sustinisset pœnalìa, diræ crucis tormentum pertulit, in qua etiam inclinato capite emisit spiritum, ut nobis vitam æternam, in futuro sæculo. & in præsentī multiformem gratiam acquireret; Per oranem gratiam nobis acquisitam; Per gratiam Fidei, quæ in Baptismo confertur, & fortitudinis in confirmatione; sicut Charitatis in Eucharistia; Justitiæ, in poenitentia; Spei in Unctione extrema; Temperantiæ, in Matrimonio; Atq; Prudentiæ, in ordine sacro; Et per omnes sanctos & sanctas Dei, qui gloria nunc perfruuntur æterna, atque per omnia ipsorum merita, ut hinc præsumptam potestatem vestram removeatis, nec in ipsam amplius permanere, aut habitatores suos molestare valeatis.

*¶ Exorcizet deinde totam domum dicendo.*

**E**Xorcizo domum in usum humani generis extructam, per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Deum omnipotentē, qui domum toti<sup>9</sup> mundi pro homine condidit, & omnia quæ in ipso sunt, sub pedibus ejus subjecit; Et per Christū Dominum nostrū qui omnium gratiarum fons, & origo virtutum, per paupertatē maximā ej<sup>9</sup>, qua secure dicere potuit; vulpes foveas habent &

*Officium  
diei Do-  
minica.  
Psal. 8.*

*Quotupl-  
cem nobis  
Christus  
gratiam  
meruerit.*

Octo beati-  
tudines  
Christus  
in se com-  
plevit.

Luc. 9.

Matt. 11.

Luc. 19.

Ioan. 4.

Matt. 2.

Levi. 19.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

bent & volucres cælinidos, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum : Per mansuetudinem ejus, ipso de illa dicente ; Discite à me quia mitis sum, & humilis corde : Per fletum compassionis ejus, quo videns civitatem Hierusalem, flevit super illam dicens ; Quia si cognovisses tu : Per famem & sitim justitiæ ejus, cujus meminit dicens ; Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælestis est : Per misericordiam ejus, cujus impulsu dixit ; Misericordiam volo & non Sacrificium : Per munditiã cordis ejus, de quo dicere potuit ; Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum : Per pacem quam semper amavisit sicut tandem ostendit cum diceret ; Pacem meam da vobis, pacem meam relinquo vobis : Et per persecutionem, quam passus est propter justitiam, cujus testatur dicens ; Si me persecuti sunt & vos persequentur : Atq; per sanctos Apostolos ejus, & ipsorum effusum sanguinem : Omnesq; sanctos & Sanctas Dei, ut benedicaris, & talem in te desuper à Deo, ministerio nostro, virtutem accipies, ut sis malis spiritibus in novum infernũ, fornacemq; ardentissimam horroris æterni, ita ut fugiant ex omni latibulo tuo teq; omnimodè liberam relinquant, pro tranquilla hominum cohabitatione, & Deo semper reddenda gratiarum actione.

*¶ Quibus expletis, benedicat domum, ut sequitur.*

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedixit domui Israel.

R. Benedixit domui Aaron.

2. Mac.

14.

**T**U Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis : Et nunc Sancte Sanctorum omnium Domine conserva in æternum impolutam domum istam, quæ nuper mundita est, & concede nobis abundantiam pietatis tuæ, ut domus hæc benedicatur, † & à te sanctificetur, † opere ministerii nostri, ut sit malorum Dæmonum

num



abdicatione, tuorum Christi fidelium protectio, munda sanctorum Angelorum habitatio, & tuae semper assistentiae digna possessio. per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, qui venturus est judicare vivos & mortuos & saeculum per ignem. Amen.

*¶ Tunc imago Crucifixi Jesu Christi Domini nostri erigatur in loco patenti nobilioris sive principalioris mansionis domus. Deinde aspergat Sacerdos aqua benedicta totam domum, à summo usque deorsum, dum dicit.*

Lectio S. Evangelii secundum  
Lucam.

**E**gressus Jesus, perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zachaeus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse dives, & querebat videre Jesum, quis esset, & non poterat praeter turba, quia statura pusillus erat. Et praecurrens, ascendit in arborem Sicomorum, ut videret illum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere: Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset, Stans autem Zachaeus dixit ad Jesum. Ecce, dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abraham. Venit enim filius, hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Luc. 19.

*¶ Quibus omnibus peractis, habeatur abissum, quod genus plantae est, & facto super ipsum signo Crucis, † appendatur in quatuor angelis domus.*

Idem quoque factum de Ramno nigro, sive Marruca: valvis, fenestrisque imponantur rami ejus.

POST-

## POSTEXORCIZATIO OCTAVA.

Quæ repulsio dicitur tempestatis à  
Dæmonibus excitatæ.

*¶ Genibus flexis Sacerdos, & qui tempore im-  
minentis tempestatis cum ipso erunt, dicant Lita-  
nias sequentes*

## LITANIÆ.

*De Maria  
Virgine di-  
& a nota-  
bilis.*

**K**Yrie eleison. *R.* Kyrie eleison.  
Christe eleison. *R.* Christe eleison.  
Kyrie eleison. *R.* Kyrie eleison.  
Pater de cælis Deus. *R.* Miserere nob.  
Fili redemptor mundi Deus. *R.* Mis. nob.  
Spiritus Sancte Deus. *R.* Miserere nob.  
Sancta Trinitas unus Deus. *R.* Miserere nob.  
Sancta Maria. *R.* Ora pro nob.  
Maria mater. *R.* Ora pro nobis.  
Mater & Virgo. *R.* Ora pro nob.  
Virgo virginum. *R.* Ora pro nob.  
Virginum Speculum. *R.* Ora pro nob.  
Speculum Domini. *R.* Ora pro nob.  
Domini domus. *R.* Ora pro nob.  
Domus immaculata. *R.* Ora pro nob.  
Immaculata sedes. *R.* Ora pro nob.  
Sedes Sapientiæ. *R.* Ora pro nob.  
Sapientiæ Arca. *R.* Ora pro nob.  
Arca altissimi. *R.* Ora pro nob.  
Altissimi templum. *R.* Ora pro nob.  
Templum animatum. *R.* Ora pro nob.  
Animatum tabernaculum. *R.* Ora pro nob.  
Tabernaculum Dei. *R.* Ora pro nob.  
Dei ancilla. *R.* Ora pro nob.  
Ancilla. & Regina. *R.* Ora pro nob.  
Regina Sanctorum omnium. *R.* Ora pro nob.  
Omnes Sancti beatorum spirituum ordines. *R.* Orate  
pro nobis.  
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ. *R.* Ora. pro nob.  
Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ. *R.* Ora. pro. nob.  
Omnes



- Omnes S. Discipuli Domini. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti Innocentes. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti Martyres. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti Pontifices, & Confessores. R. Orate pro nobis.  
 Omnes Sancti Doctores. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti virgines, & Viduæ. R. Orate pro nob.  
 Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. R. Orate pro nob.  
 Propitius esto. R. parce nobis domine.  
 Propitius esto. R. Exaudi nos domine.  
 Ab ira tua. R. Libera nos domine.  
 Ab insidiis Diaboli. R. Libera nos domine.  
 A fulgure, & tempestate. R. Libera nos dom.  
 Per nativitatem tuam. R. Libera nos dom.  
 Per crucem & passionem tuam. R. Libera nos domine.  
 Per mortem & resurrectionem tuam. R. Libera nos do.  
 Per admirabilem ascensionem tuam. R. Libera nos do.  
 Peccatores. R. Te rogamus audi nos.  
 Ut nobis parcas. R. Te rogamus audi nos.  
 Ut nosmet ipsos in tuo Sancto servitio confortare, & conservare digneris. R. Te rogamus audi nos.  
 Ut fructus terræ dare, & conservare digneris. R. Te ro. audi nos.  
 Fili Dei. R. Te rogamus audi nos.  
 Kyrie eleison. R. Kyrie eleison.  
 Christe eleison. R. Christe eleison.  
 Kyrie eleison. R. Kyrie eleison.  
 ¶ *Hic surgat solus, & dicat.*  
 V. Expectabam Deum.  
 R. Qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.  
 V. Persequeris illos in tempestate tua.  
 R. Et in ira tua turbabis eos.  
 V. Non me demergat tempestas aquæ. neque absorbeat me profundum.  
 R. Neque urgeat super me puteus os suum.

## ORATIO.

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui in majestate tua ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum, sicut aliquando in fremitu tuo ponis tenebras latibulum tuum in circuitu tuo, & tabernaculum tuum tenebrosam aquam in nubibus aëris: Misere-re, miserere nostri, placere, placere domine, parce, populo tuo, & aërea quæsumus discedat malignitas tempestatum, ut sicut justè pro peccatis nostris afflictionis periculo imminente affligimur, ita misericordia tua perveniente clementiam sentiamus: Et si forsitan opere Diabolico hæc concirantur contra majestatem tuam, quæ producit in montibus fenum & herbam servituti hominum: Et adversus naturam ipsam, terræ nascentia producentem, qua liberalissimè operaris in omnibus, atq; in suorum Christi fidelium detrimentum: intopa quæsumus de cælo altissime, da contra spiritalem nequitiam vocem tuam, grādinem, & carbones ignis: mitte sagittas tuas, & eam dissipa, fulgura multiplica & conturba eam, ut cognoscant te rectorem omnium esse, qui temperas rerū vices, nunc & in perpetuū. Amen.

*¶ Tunc omnes quoq; surgentes, exorcizet Sacerdos, conversus ad nubes, Demones concitantés, et dicat.*

Exorcizo vos scelestissimos Dæmones qui naturalia principia & aëreas impressiones, ex quibus mortalibus omnibus diversimodè beneficia operatur Deus, ausi estis in consummationem nequitie vestræ convertere: ventos concitantes, vapores congregantes, nubes componentes & grandines condensantes, per Deum Patrem omnipotentem, † per Dominum Jesum Christum Filium ejus unigenitum, † per sancta nomina ejus scilicet Verbum, Emanuel, Jesus, Christus, Rex regum, Dux in misericordia, Princeps pacis, Vir oriens, Dominus justus, Legisfer, Magister, Filius, Primogenitus, Unigenitus, Puer nobis datus, Mediator, Pontifex, Sacerdos in

*Jesu Christi  
vinitus.*



do s in æternum, Caput Ecclesiæ, Os Domini, Redem-  
tor mundi, Sponsus Ecclesiæ, Propheta magnus, Medi-  
cus animarum, Pastor bonus, Angelus testamenti, LEO  
de Juda, Vitulus saginatus, Ovis occisionis, Agnus  
Dei; Atque † per Spiritum Sanctum Dominum & vivi-  
ficantem, qui ex Patre Filioque procedit: † Exorcizo  
vos per gloriosam Virginem Mariam, quæ vas auri so-  
lidum dicitur, Pelles Salomonis, Liliū inter spinas,  
Virgā de Jesse, Virgula fumi, Fons signatus, pater a-  
quarum, amicta Sole, pulchrior Luna, & Stella Maris:  
Exorcizo vos per omnes illos, in quibus Deus mirabilis  
& gloriosus apparet, sive in cælestibus Hierarchiis, sive  
terrestribus ordinibus, quatenus inceptum opus relin-  
quentes, grandinem dissolvatis, nubes destruatis, vapo-  
res dispergatis & ventos cohibeatis, per eundem, qui æ-  
qualem non habet in nubibus, nec in filiis Dei similem,  
& vivit & regnat semper, Amen.

*Quibus finitis, sit ignis magnus paratus in pa-  
tenti loco, & copiosè receptis.*

Sabinæ,  
Hypericonis,  
Palmæ Christi,  
Arthemisiæ,  
Verbenæ,  
Aristolochiæ rotundæ,  
Rutæ,  
Aster atrici,  
Sulphuris, &  
Assa fetidæ: Et super hæc omnia signo Crucis facto †  
projiciantur in ignem, dum Psalmus sequens dicitur,  
sive (si fieri potest) cantatur.

**L**audate nomen Domini, laudate servi Domini,  
Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei *Psal. 134.*  
nostri, Laudate Dominum, quia bonus Dominus;  
psallite nomini ejus, quoniam suave est. Quoniam Ja-  
cob elegit sibi Dominus, Israel in possessione sibi. Quia  
ego cognovi quod magnus est Dominus, & Deus no-  
ster præ

ster præ omnibus diis. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis, qui percuffit primogenita Ægypti ab homine uſq; ad pecus. Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes ſervos ejus. Qui percuffit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſſan, quoniam in æternum miſericordia ejus. Et dedit terram eorum hæreditatem, Iſrael populo ſuo. Domini nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione, & generationem. Quia judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis deprecabitur. Simulacra gentium argentum, aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur. oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſrael benedicite domino: Dominus Levi benedicite domino: qui timetis dominum benedicite domino. Benedictus dominus ex Sion qui habitat in Hieruſalem. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat, &c.

FINIS POSTEXORCIZATIONUM.

PRA.



# PRÆTICÆ EXORCISTARUM PARS SECUNDA.

F. VALERII POLIDORI PATAVINI,  
Ordin. Min. Conventualium, Arti-  
um, ac Sacræ Theologiæ  
Doctoris.

Ad Dæmonum dispersionem pertinens:

Probatissimaq; remedia continens applicanda, ad  
maleficia, Dæmones de Christi fide-  
libus expellendum.

## PRÆFATIO IN DISPERSIONE DÆMONUM.

*Quod in mundo Malefici verè sint.*

Cap. I.



UI Sacræ Scripturæ cursum attenta  
mentis perscrutatione peregerunt, di-  
vina permissione, Maleficos in mundo  
verè esse, qui invocatione Dæmonum,  
pacto cū ipsis initio tacitè, vel expressè,  
signo sensibili interjecto, multa mala  
faciant, nulli dubium esse licere demonstrabunt: in Sa-  
cris enim de his multa extant testimonia: Nam primo,  
postquam Zoroastres, qui Cham Filius Noe à quibus-  
dam opinatur, artem hac execrabilem Dæmones invo-  
candi perversè adinvenit, & talis generis homines cre-

*Inventor  
artis ma-  
gica.*

N 3

mentum

*Maleficos  
esse multo-  
rum testi-  
monio  
comproba-  
tur.*

mentum habere cœperunt; Pharao sicut dicitur Exo. 7. cum Moyses & Aaron, ex virga, virtute divina, colubrū fecissent, vocavit sapientes & Maleficos, & fecerunt etiam ipsi incantationes Ægyptiacas, & arcana quaedam similiter; Nabucodonosor deinde, ut habetur Dan. 2. præcepit, ut convocarentur Arioli, & Magi & Malefici & Chaldæi ut indicarent ipsi somnia sua; De talibus loquitur in furore suo dominus; Ne sit Maleficus, nec incantator, neque Phytones consulat, neque divinos, & querat à mortuis veritatem, Deu. 18. Et alibi; Ero testis velleox Maleficis, & adulteris, & perjuris, Mal. 3. Sicut alibi dicit: Maleficos non patieris vivere, Exo. 22. Sunt & alia loca idem manifestantia, sed præcipuè Lev. cap. 19. & 20. nu. 12. 22. & 23. Deu. 18. 1. Reg. 6. & 28. 4. Reg. 17. & 23. 2. Par. 33. Eccles. 12. & 34. Sap. 17. Eia. 8. 19. 44. & 47. Hie. 29. Dan. 1. Mic. 5. Act. 8. 13. & 16. Sed neque Sanctorum Patrum, & hujusmodi Maleficiorum Existentia, desunt testimonia, quæ si omnia recenserentur, nimis prolixitas traheretur: audiatur itaq; tantum Augustinus lib. 18. De civit. Dei. c. 17. Sunt & Scholastici doctores, q; de hoc disserāt; lib. 4. sententiarū, distinct. 34. inter quos habetur Scotus ubi supra, quæst. 1. Sed & Canones quamplurimi hanc sententiam approbant, præcipuè autē c. si per sortiarias & maleficas artes, 22. q. Canonistæ quoq; sed præcipuè Hostiensis debito loco suæ summæ; Atque civiles leges, potissimum autē 9. lib. Codicis, Rubrica de Maleficis. I. Post Corneliam, de sicariis & homicidiis; Tum deniq; Doctores in civili, inter quos præsertim Azō in sua summa, Libro, Rubrica, & Lege, ubi supra. Sunt itaque Malefici, & multi sunt, nam crevit eorum, quin etiam & Maleficarum mulcircularum numerus, diebus nostris, ita immensum, ut eorum abominationibus terra repleatur, & nullus sit, qui talium effectus noxios non agnoscat: Unde Sancti Patris Gregorii assertum in moralibus certum relinquatur, cum dicat; Crevit scientia sanctorum ita & noxiæ artes Dæmoniorum. Concludamus itaq; verè & realiter maleficos reperi.



*Quod à Maleficis verè & realiter Maleficia fiant. Cap. II.*

**Q**uemadmodum Maleficos esse, multis supra autoritatibus ostensum est, ita in præsentî ab eisdem Maleficis, vere & realiter Maleficia fieri diversis autoritatibus est observatum; & præcipue sacre scripturæ, ut intelligatur Naum Propheta domini dicens, capit. 3. Corruent in corporibus suis propter multitudinem fornicationum meretricis speciosa & gratæ, habentis Maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in Maleficiis suis. Extat Michæ Prophetæ testimonium dicentis, cap. 5. Auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te. Sed & de Manasse Rege dicitur, 2. Para. 33. Quod observabat somnia, sectabatur auguria, & Maleficis artibus inserviebat. Idem deinde multi doctores referunt, sed Isidorus præcipue, qui lib. 3. Etym. Cap. 9. De Maleficis loquitur dicens; Hi elementa concutiunt, mentes hominum turbant, & absque ullo veneni haustu, violentia tantum carminis animas interimunt, id est homines necant. Sunt & casus experientia, à diversis doctoribus observati, idem apertissime manifestates; inter quos præcipui sunt Beda, Lib. de Gestis Angelorum; Guilielmus Parisiensis, lib. de Universo, sive de Apibus; Silvester Prierius, lib. de mirabilibus operationibus Strigium & Dæmoniorum; Joannes Nider, in suo præceptorio, & Fornicario; Henricus Institor & Jacobus Sprenger, in Malleo Maleficarum; Atq; Paulus Ghirlandus, in Tractatu de Sortilegiis, qui omnes multis Historiis, & exemplis idem referunt. Quibus omnibus supradictis evidentissime extat edoctum Maleficia multimodè & realiter reperiri, a que Maleficis impiissime fieri.

*Maleficia deducuntur manifestè autoritatibus.*

*Maleficia fieri experientis comprobantur.*

*Quod per Maleficia Diabolus humana corpora ingrediatur. Cap. III.*

**M**aleficia multisiq; modis etiam Diabolus homini nocere studeat; nocere tamen eidem dicitur

*Substan-  
tialiter  
quomodo  
diabolus  
humana  
corpora  
penetret.*

*Malefico-  
rum nutu  
diabolus  
humana  
corpora in-  
greditur.*

præcipuè maligna inhabitatione, in ipsum etiam sub-  
stantialiter penetrando. Animadvertendum est tamen  
hoc dupliciter intelligi posse: Vel scilicet quod Diabo-  
lus Animam penetret, ipsam substantialiter ingredièdo  
& sic intelligèdo mendaciū falsitatis habet, quoniã non  
Diabolus, sed solus Deus animam inhabitat, rationaliq;  
menti illabitur: vel quod corpora humana possideat  
substantialiter residendo, & sic consonum veritatis de-  
ducitur: nam Diabolus humana corpora substantialiter  
inhabitare contingit dupliciter: Vel primò permitten-  
te Deo, sponte per se ipsum, & non ad alicujus instan-  
tiam, talem ingressum affectando, procurando, & ob-  
tinendo, sicut multis in locis sanctarum literarum vi-  
dere est: Ut 1. Reg. Cap. 16. Nat. 11. 12. 15. & 17. Mar. 1.  
5. 7. & 9. Luc. 4. 8. 9. 11. & 13. Atque Act. 16. Vel secun-  
dò, permittente Deo, Malefico, sive Malefica suis in-  
cantationibus ipsum alliciendo, invocando, & inhabita-  
tionem intentam insinuando. Quod verò ita substan-  
tialiter, & ad nutum Maleficiorum, Diabolus humana  
corpora ingrediatur, patet per Henricum Institoris, si-  
ve Jacobum Sprenger, qui in Lib. Mallei malef. Parte. 2.  
Principali 1. Cap. 10. exemplum suæ praxis de quodam  
Bohemo ex oppido Dachovo refert, qui tempore Pon-  
tificatus Pii Papæ II. Romam ductus fuerat, ut visis A-  
postolorum, aliorumque plurimorum Sanctorum li-  
minibus, ipsorum meritis, divina bonitate liberaretur à  
Dæmone, à quo obsidebatur ad alicujus cervicosæ Ma-  
leficæ requisitionem, contra quam obsessus de ratione  
quadam regiminis curiæ asperissima verba protulerat.  
Hæc enim cervicosâ mulier propterea Maleficium in-  
struxerat, & sub arbore quadam occultaverat, suisq; in-  
cantationibus effecerat ut hic à Dæmone obsideretur:  
Quo impellente, dum obsessus Exorcizaretur multum  
clamans, etiam idiomate linguæ ipsi ignotæ loquebat:  
& dum ante Ecclesias transiret & Virginem matrem  
salutare proponeret, linguam maximè emittebat invi-  
tus: nam Lingua, Collo, Pulmone, cæterisque illius ute-  
batur, membris Diabolus, cujus etiam sævitia in tantū

excre-



excreverat, ut obsessum usu rationis privaret, dum sacris vacare, sacraq; visitare disponderet: Disponere autem domino ab omni vexatione, tandem liber evasit. His itaque jam evidenter constare videtur, quod per Maleficia, divina permissione assistente, Diabolus substantialiter humana corpora ingrediatur.

*Quomodo cognoscatur an aliqua persona sit à Damone, per maleficia obsessa.*

*Cap. IV.*

**Q**uemadmodum pseudoAngeli corpora humana dupliciter obsidere norunt, propria scilicet malitia eorum suadente, & malefico invocante: sic duplicia possunt esse signa observanda, ad hoc, vel illud deducendum. Pro primo autem signa tradita sunt in præfatione meæ Expulsionis Dæmonum, cap. 9. Pro secundo verò, signa sunt hoc loco depromenda. Sed antequam ad hoc peragendum descensus fiat, unum animadvertendum necessarium duxi, & est quod sicut semper Dæmones ejusdem naturæ sunt & malitiæ, ita corpora humana, sive propria ipsorum requirente lævitiæ, sive maleficiorum nequitia, intrantes, prædictos solent effectus producere: Ideo ad obsessionem Diabolicam per Maleficium procuratam dignoscendam, etiam signa illa sunt apta, quæ in Præfat. ut sup. sunt disposita.

*Signa duplicia ad obsessum à Damone cognoscendum.*

Quo præmissis dicitur quod alia signa, quæ valent ad obsessum à Dæmonibus, substantialiter, & per maleficium cognoscendum, duo præcipuè sunt. Primum est in membris exterioribus: Secundum est in partibus corporis interioribus: Exterior tumor est: quia aliquando maleficiati in omni parte corporis tumescere videntur: Aliquando verò & in omni alio corporis motu fessi nimis apparent, ita ut etiam ab aliquo motu penitus impediuntur: Quemadmodum & per tumorem solet evenire: Aliquando autem, ut in pluribus colorem (in facie præcipuè) cedrinum habent: Et cruciatus multos in membris omnibus diversimode patiuntur. Interius au-

*Signa duplicia ad cognoscendum obsessum per maleficium.*



tem signa possunt esse duplicia; Quædam sensibilem læsionem dicentia, & hæc circa Cor apparent, Stomachum, & Ventrem. Prima circa Cor, quia maleficiatis videtur Cor constringi, vel pungi, vel quasi à canib. corrodi. Secundo circa stomachū, quia videtur ipsis os ventriculi constringi: Non digerunt etiam adhibito à medicis remedio, sed sumpta evoment; Et aliquib. videtur quod à stomacho ascendat bolus, & descendat, sed semper non statim, unde etsi ipsum deglutire volunt, non possunt, tandem autem à seipso descendit. Tertio vero circa Ventrem torsiones acerbissimas patiuntur; Aliquando videtur ipsis per ventrem ventum discurrere frigidissimum: Aliquando verò vaporem, quasi flammam ignis, ardentissimum. Quædam autem signa maleficiati sunt amentia: immisionem concludentia, & apparens in defectu usus rationis; Nam aliqui tales Maleficiati privantur; sed aliquando & raro usu rationis, aliqui verò sæpè; Sed & aliqui sæpius, dum tamen interdum habent lucida intervalla; Aliqui tandem semper. Et hæc signa sunt potissima ad cognoscendum an aliquis sit, per Maleficium, à Diabolo substantiali inhabitatione, possessus.

*Quomodo possint, & debeant liberari per  
Maleficium Obsessi. Cap. V.*

**D**E machinationibus diabolicis evertendis, & vexationibus à maleficiatis tollendis, affertur primo id, quod refertur ad posse: secundo verò id, quod respicit debere: Quo itaq; ad primum dicitur quod duplex est; Unum independentens; Et est Deus gloriosus, qui sicut permittit maleficia fieri, & obsessos vexari, ita sua divina bonitate solo suæ voluntatis nutu, potest maleficium liberare: Aliud autem est dependens, & duplex; Quoddam Angelicæ naturæ; Quoddam verò humanæ; Quod autem est de Angelica natura, duplex adhuc est; Primū Angelus bonus, qui sua virtute naturali sit superior angelo malo maleficii authore, nam tali potest auctori

*Posse maleficia  
dissolvere  
quorum  
sit.*

authori præcipere ut Maleficium jubeat deficere: Et secundum est angelus malus, quia sua quoque virtute naturali sit major angelo malo Maleficii authore, cui præcipere potest, & obsessum liberare: Quod verò est dependens de humana natura, Exorcista est, qui autoritate sui officii, à domino tradita, ut habetur Luc. 9. & suo ministerio, divina assistente clementia, ad Diabolum increpandum, & maleficium destruendum maximo-pere conferre consuevit. Et hæc sunt, quæ respiciunt posse. Secundo itaque dicendum est de eo, quod respicit debere: Circa quod ut oppositione contrariorum eadem plenius adipiscatur notitia, dicatur primo quomodo liceat obsessum per maleficium, à vexatione liberari: Secundo autem quomodo non: Quo ad primum duo dicuntur, quorum primū est Magistri Sent. lib. 4. distin. 34. duo dicentis: Primum. s. quod obsessi corde contrito confessionem suorum peccatorum faciant, & lacrymis atq; elemosynis, Orationibus & jejniis, domino satisfaciant: secundum quod ministri ecclesiæ per Exorcismos, ac cætera ecclesiasticæ disciplinæ munimina, maleficiatos sanare procurent. Secundum quod dicitur est Scoti. 4. sent. distin. 34. q. 1. dicentis, quod si cognosceretur ubi lateret signum materiale, ut est conglutinatio plumarum, aut imago aliqua abscondita, vel hujusmodi, destri deberet, quia Diabolus non amplius maleficiatum defatigaret, quia ex pacto non adest, nisi dum durat aliquod tale signum. Et hæc sunt, quorum usus, cum illis remediis, de quib. dicturus sum in sequentibus capitulis, licitè debet in liberationem maleficiati adduci: Secundo deinde & ultimo dicendum est de illicitis, & in tali opere non requirentis, pro quibus compendio insinuandis, tria proponi solent: Primum est declarans non licere per maleficium, & maleficium aliud, maleficium intentum dissolvere, & maleficiatum liberare: Secundum est demonstrans illicitum esse superstiosis uti, cum illatione maleficii in personam aliam: Ac tandem tertium disponit esse inconveniens, etiam honestæ personæ, etiã sine alterius nocumento, Maleficia, aliqua

*Dissolvit  
maleficia  
quibus des-  
beant.*

*Illicita in  
solutione  
maleficii  
quæ censu-  
antur.*



aliqua invocatione Dæmonum, cohibere. Jam itaque his positis, sciat unusquisque quo modo possit & sibi liceat, remedia, pro maleficiatis à Diabolo obsessis, valde licita possidere, contumeliosaq; refellere.

*Quod licitum sit quibusdam Remediis naturalibus maleficio contraire.*

*Cap. V I.*

*Naturalia materialia quomodo adversentur Diabolo.*

*Naturalibus materialibus maleficia dissolvi licere, auctoritatibus comprobatur.*

**R**emota incantatione, pactoq; cum Dæmone vel expresso, vel tacito secluso, naturalia, ut lapides, plantæ, & hujusmodi, conferre pro liberatione obsessi per maleficium, licereque eisdem benedictis, pro tali opere uti, nulli dubium esse consuevit: Animadvertendum tamen venit quod licere talibus remediis naturalibus conferentibus uti, dum quis disposuerit maleficio contraire potest considerari dupliciter: Uno modo in quantum immediate & directe Diabolo auctori malefici adversetur, qui propterea maleficiū destruere cogatur: & sic non licet, quoniam nulla virtus naturalis talium materialium remediorum & medicamentorum, in Diabolum agere potest: Alio modo in quantum mediate, & indirecte hujusmodi remedia eidem Diabolo adversantur, quatenus talia applicata valent ad corpus obsessum refocillandum, quod Diabolus vexare studet, & sic procul dubio licet: Nam & in primo Reg. cap. 16, Legitur Davide Cithara tantum canente, Saulē Diaboli vexationem hujus tulisse. Extant & aliorum diversorum Doctorū testimonia apertissime asserentia, hoc secundo modo, licere naturalibus Remediis Petrarum, Olerum, Arborū, & compositorum Medicaminū, ex benedictis precipue, uti, dum modo ea quibus usus accidit, talē virtutē habeant à natura, ut effectum iacentum, non impediatur, imitere valeant: Doctores autē hujusmodi potissimum sunt Hieronymus, cujus verba 26. q. 7. Dæmonium sustinenti. recitantur in hanc sententiam: Licet Petras, & Herbas habere sine incantatione. Et Nicolaus de Lira, super 1. Reg. 16, Albertusq; super Luc 9, Hostialis

Hofsiensis quoque, in sua Summa, tit. de impotentia  
coe. In Glosa super c. litteræ, §. Mulierem autem. qui  
dicit recurrentum esse ad Remedia Medicorum. Sed &  
Magister in Histo. super Tob. c. 6. dicit fumum cujusdã  
Arbusculæ adustæ Diabolũ pellendi vim habere. Quin-  
imo & Paulus Burdegalenſis, super 1. Reg. 16. dicit et-  
iam non solum obsessos ex prædictis naturalib. Remediis  
relevari, sed & liberari posse; Quando scilicet non  
impediuntur effectus, & à non sævis Diabolis, per male-  
ficium obsessi, acriter affligantur. Ex omnib. autẽ su-  
prædictis sententiã colligentes, quõ liceat, & quod possi-  
bile sit, apparet quibusdam Remediis naturalibus Ma-  
leficio contraire.

*De Remediis Maleficiatis extrinsecus ap-  
plicandis. Cap. VII.*

**I** N illorum Remediorum classe, quibus Maleficiati  
muniri solent, in promptu illa sunt, quæ eisdem ex-  
trinsecus applicantur, de quibus in prima sectione se-  
quentis operis sum positionem facturum, sub ordine du-  
plici, in quorum uno illa disponentur, quæ sunt à Male-  
ficiata persona super se tantum portanda. In alia verò  
illa, quæ sunt etiam ad perceptionem sensuum referen-  
da. Sed quæ sunt à Maleficiata persona super se portan-  
da, duplicia sunt: Nam quædam sunt à natura: Quæ-  
dam autem ab arte: Quæ sunt à natura, sunt duplicia,  
propterea quod quædam sunt ex Elementis, & quædam  
ex Elementalibus: & hæc duplicia sunt: Quia quædam  
habentur in Mineralibus & aliis: Quædam verò in Plã-  
tis: Quæ autem sunt ab arte, sunt Brevia ab obsessis  
super se portanda, quorum duo habentur, Primum est  
in quo scribitur, Secundum est quod scribitur: Et du-  
plex est: Quia quoddam est à sanctis revelatum: quod-  
dam verò, ex sacris contextum, & duplex est: Quoniam  
quoddam sacrę constat scripturæ verbis, Quoddam verò  
sanctis extat nominibus Dei: Sed quæ sunt etiam ad  
perceptionem sensuum referenda adhuc duplicia sunt.

*Deferenda  
maleficiati-  
s sunt  
multa.*

*Sentienda  
à maleficiis  
multa  
sunt.*

Nam



Nam quædam referuntur ad Olfactum, Quædam autē ad Tactum. Quæ referuntur ad olfactum duplicia sunt, propterea quod quædam habentur in rebus cum aliis non mixtis: Et quædam in rebus cum aliis mixtis: Res verò cum aliis non mixtis duplices existunt: Quia quædam sunt ex Vegetalibus: Quædam verò sunt Vegetales, & duplices sunt: Quoniam quædam sunt in seminibus, Quædam verò sunt in Oleribus: Res autem cum aliis mixtis adhuc duplices sunt: Quædam sunt fetidæ: Quædam verò non fetidæ, ut fumigationes quædam, quæ duplices sunt: Primæ adveniunt spiritualibus malis & maleficio: Secundæ verò maleficio & malis spiritibus. Quæ tandem referuntur ad Tactum duplicia quoque sunt: propterea quod quædam habentur sub specie Olei: & quædam sub specie Aquæ, & duplicia sunt: Quia quædam pertinent ad aspersionem: Quædam verò ad ablutionem: Et hæc sunt remedia extrinsecus applicanda Maleficiatis in prima sectione sequentis operis, secundum hunc ordinem, suis sedibus disposita, pertractanda.

*De remediis à maleficiatis ore sumendis,  
Cap. VIII.*

**I**N secunda sectione sequentis operis jacula illa cudenta sunt, quæ in usum Exorcistarum ad destruenda maleficia cadunt, ut cum maleficiatis, pro remedio obsessionis proponunt ut ore sumantur: Hujusmodi autē remedia, ore sumenda, sunt duplicia: Quoniam quædam pertinent ad nutrimentum: Quædam verò ad medicamentum: Pertinentia autē ad nutrimentum duplicia sunt: Nam quædam sunt condimenta cibum, Quædam autē non condimenta, & sunt duplicia: Propterea quod quædam sunt pro cibo, & quædam pro potu: Quæ sunt pro cibo, duplicia sunt: Panis, scilicet, & Caro hæcina: sicut quæ sunt pro potu adhuc duplicia sunt: Vinum, scilicet, & aqua: Pertinentia verò ad medicamentum duplicia quoque sunt, nam quædam valent ad solutionem malefici: quædam autē ad

*Nutrientia  
pro maleficiatis.*

*Medicamenta  
pro maleficiatis.*

ad emissionem maleficialium instrumentorum, in corpore obsessio à Dæmone coaptatorum: Quæ valent pro solutione maleficii, duplici classe parantur: Propterea quod quædam sunt applicabilia indifferenter ad omne maleficium, & quædam sunt applicabilia differenter, secundum diversos effectus maleficii, & hæc duplicia sunt: Quia quædam sunt, quæ ore sumuntur cum aliquo aliter concomitante, contra effectum frenesis sive amentia: Quædam verò sunt, quæ ore sumuntur sine aliquo aliter concomitante: Et hæc sunt duplicia: Quia quædam faciunt contra effectum læsionis Ventriculi & cordis: Quædam verò contra effectum læsionis in ventre: At verò quæ valent ad emissionem maleficialium instrumentorum etiam duplicia sunt: Propterea quod quædam sunt præcedentia dictam emissionem: Et quædam subsequencia: Prima duplicia sunt: Quædam, n. habent virtutem leniter expellendi: Quædam verò vehementer: Quemadmodum subsequencia sunt duplicia: Quia quædam sunt destructiva instrumentorum materialium maleficii: Quædam autem sunt corroborantia Ventriculi fessi à vomitione materialium eorundem instrumentorum: Et hæc tandem duplicia sunt: Quia quædam Ventriculum virtuose corroborant: Quædam verò virtuosius confirmant. Et sic, & hic remediorum à maleficiatis sumendorum successiva propositio, conclusa quiescat.

*Quod medicorum arbitrio remedia obsessis applicanda relinquuntur.*

*Cap. IX.*

**V**Nicuique experto in sua arte credendum esse, ex Dialecticis omnes approbant sapientes: Ideo cum sacerdotes & Exorcistæ, apta à medicis medicamenta susceperint, ad relevandum obsessos, & standum contra Diabolum, sicut supra dictum est c. 6. Exinde quæ crediderint accepta, optimè ad effectum intentum, naturalibus vigere virtutibus, non erit inconsonum: Quoniam nihilominus secundum complexionem diversam, diversa quoque, vel diversimodè saltè, remedia sunt applicanda



*Colera  
Signa.*

*Flegmatis  
inditia.*

*Melancolia  
præsignia.*

*Sanguinis  
testimonia.*

plicanda, & Sacerdotum non est, neque Exorcistarum, super complexiones diversas iudicium ferre. Non enim talium munus est nosse, an frequens dolor capitis, siccitas oris, & linguæ, ex paucitate salivæ, asperitas gulæ, amaritudo gustus, sitis, appetentia ciborum torpensa, amaritudo vomitus, caro attenuata: vigilia longa: dormitio brevis, & urina ignea, citrina, tenuis, & clara, arguant coleram in patiente. Sive si oculi sæpe lacrymas fundant, præcipueq; mane, atque somnolentia graves sint, os madidum saliva refertum: Lingua cum gula humida, appetitus ciborum, ut præcipue potus, defectus, digestio tarda, nares superfluis abundantes: Caro mollis, urinaq; alba, flegmatum inundantiam indicent. Vel forsitan, si ardor ventriculi, frigiditas carnis, mordicitas ciborum, canino more voratorum, heberudo operis, suspiciositas cordis, frigiditas pedum præcipua, solitudo, tristitia, tenacitas, & ira mentis, atque urinæ nigredo aliquantulum ruffa, ad viriditatem vel palliditatem tendens, Melancoliam præferant, Aut si rubea facies, dulcedo saporis ex ore profluens, vesiculæ oris, & labiorum, pectoris ardores, gratitudo comestibilium, brachiorum præcipue pruritus, optima digestio, pinguetudo corporis, atque urina rubea & paululum crassa, testimonia sint domini sanguinis: Quemadmodum nec partium corporis temperamenta discernere, ut potissimum cerebri, cordis, Epatis, Pulmonis, & Ventriculi: Sed nec generaliter, dispositionem contemplari, vel indispositionem corporum, & eorum sanitatem vel ægritudinē: Cum, inquam, talia minimè Sacerdotum sint, sive Exorcistarum, consulto faciendum esse iudicavi, ut applicationes medicamentorum non fiant, nisi per medicos, quibus remedia proponantur, ad laudem Dei optimi maximi oppressorum salutem, & Dæmonis contumeliam.

*Quomodo cognoscatur à maleficio liberatus. Cap. X.*

**O**bservatis diligenter signis, de quibus in Præfatione primæ partis hujus Practicæ Exorcistarum, Expulsio

pulsio Dæmonum, dictæ; cap. 12. Quorum memoria hic quoque inferatur, & ad hunc locum intentum redigatur; Pro cognoscendo an persona aliqua per maleficium à Dæmonæ obfessa, fit ab omni maleficio liberata, tria potissimum subnectuntur indicia: Primum est quando maleficiatæ personæ videtur per os, per aures, perq; secessum quasi flamma ignis exisse; Secundum signum est quando per os, aures, secessumq; videtur maleficiatis quasi ventum frigidissimū efflasse; Et tertium est quando per loca prædicta videtur maleficiatis quasi pilas exisse, vel Vermes, vel Formicas, vel Ranas, vel mures, vel hujusmodi. Signis itaq; prædictis sic breviter expositis, pro notitia habenda liberationis obfessi per maleficium præsens cap. cum tota Præfatione hujus secundæ partis Practicæ Exorcistarum. Dispersio Dæmonum, dictæ, concludatur, ad laudem Dei ter optimi, terque maximi, viventis in sæcula sæculorum.

*Liberatio-  
nis à ma-  
leficio tria  
sunt signa.*

FINIS PRÆFATIONIS.

○ DISPER-



# DISPERSIO DÆMONUM.

Quæ secunda pars est Practi-  
cæ Exorcistarum,

**PROBATISSIMA REMEDIA**

*Obsessis per maleficium, continens ap-  
plicanda: Cujus prima Sectio  
sequitur.*

**APPLICABILE I.**

*¶ Salis ab obsesso super se ferendi benedictio,  
pro liberatione ab incurſu Diabo-  
lico, & Malefico.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

**EXORCISMUS.**

*Lev. 2.*



*Col. 4.*

Xorcizo te creatura Salis per Domi-  
num Deum omnipotentem, qui te per  
Moysen famulum suum filiis Israël  
mandari precepit, ut quicquid obru-  
lissent sacrificiis, Sale condirent, nec au-  
ferrent Sal fæderis ejus de sacrificio suo,  
ita ut in omni oblatione offerrent Sal: Et per Dominum  
nostrum Jesum Christum, qui per Apostolum suum ser-  
monem semper in gratia Sale conditum, ad sciendum  
quomodo oporteat unicuique respondere, esse debe-  
re docuit; Ut benedicaris † & sanctificeris † ad omnem  
virtutem Diaboli reprimendam, & maleficium dissi-  
pandum, ut quicumque te in honorem creatoris tui super  
se portaverit, ab omni periculo, & incurſu Diabolico sic  
securus, & liber existat, Per eum qui venturus est judi-  
care

care vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O .

**O**mnipotens æterne Deus, qui Aaron Sacerdoti tuo, *Num. 18.*  
 pactum Salis coram te, & ipso, & filius eius, esse  
 sempiternum dixisti; Et per Dominum nostrum  
 Jesum Christum Sal commendans, ipsum bonum de-  
 clarasti, & in nobis habendum esse comendasti, te sup- *Mar. 9.*  
 plices deprecamur, ut benedicere & sanctificare digne-  
 ris & hanc creaturam Salis, ut quicumque super se por-  
 taverit in honorem tui, creatoris sui; integram animæ  
 & corporis sanitatem accipiat, quatenus noxia cuncta  
 Diabolica submoveas, & omnia profutura concedas.  
 Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum fi-  
 lium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiri-  
 tus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

¶ *Aspergatur aqua Benedicta.*

## A P P L I C A B I L E . 2 .

¶ *Auri, Thuris, & Mirrhe super seferenda  
 benedictio, quæ in Epiphania Domini consuevit  
 fieri, contra omnia nocumenta Diabolica, & ma-  
 leficia.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

## P S A L M U S .

**D**eus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute  
 tua judica me; Deus exaudi orationem meam, *Psal. 53.*  
 auribus percipe verba oris mei; Quoniam alieni  
 insurrexerunt adversum me & fortes quaesierunt ani-  
 mam meam, & non proposuerunt Deum ante conspe-  
 ctu suu; Ecce enim Deus adjuvat me & Dominus susce-  
 ptor est animæ meæ; averte mala inimicis meis, & in ve-  
 nitate tua disperde illos; Voluntarie sacrificabo tibi & co-



fiſtebor nomini tuo Domine quoniam bonum eſt: Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

## P S A L M U S.

*Pſal. 71.*

**D**eus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio: Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam: Iudicabit pauperes populi & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem: Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem: Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram: Orietur in diebus ejus iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna: Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum: Coram illo procident Aethiopes, & inimici terram linguent: Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei: Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor; Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet: Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo: Et vivet & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei: Erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuper extolletur ſuper Libanum fructus ejus, & flore bunt de civitate ſicut fœnum terræ: Sit nomen ejus benedictum in ſecula, ante Solem permanet nomen ejus: Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus: Et benedictum nomen maiſtatis ejus in æternũ & replebitur maiſtate ejus omnis terra, fiat fiat Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL-

## P S A L M U S.

**D**eus misereator nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereator nostri: *Psal. 66.*  
 Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes, in terra dirigis: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ; Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum Amen.

## A N T I P H O N A.

**A**PERTIS thesauris suis obrulerunt magi Domino Aurum, Thus, & Myrrham. Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster qui es in caelis, &c.

*Et dicitur secretè usq<sup>3</sup> ad illud.*

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. Ostende nobis Domine Misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O.

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, te humiliter deprecamur ut has creaturas Auri, Thuris, & Myrrhæ, hodierna die à tribus Regibus tibi tanquam summo Regi, & Deo vero, & homini vero oblatas, benedicere † consecrare † sanctificare † digneris, & eis donum tuæ benedictionis infunde, & quicumque eas gestaverit, ab omni periculo animæ & corporis salvus semper existat. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas in secula seculorum. Amen.



DISPERSIO  
ORATIO.

**D**omine Jesu Christe, qui nobis sacerdotibus, non nostris meritis, sed sola dignatione clementiæ tuæ præ cæteris gratiam contulisti, ut quicquid à nobis in tuo nomine dignè & perfectè agitur, à te fieri credatur, Adesto quæsumus nostræ officio servitutis, & benedicere & sanctificare digneris & has creaturas Auri, Thuris, & Myrrhæ, quas in nomine sancto gloriæ tuæ benedicere & confidimus, Qui vivis, & regnas cum Patre & Spiritu Sancto Deus, Per omnia sæcula sæculorum Amen.

BENEDICTIO.

**B**enedico & itaq; in titulum omnipotentia, & spem salutis fidelium utentium has creaturas Auri, Thuris, & Myrrhæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti & ut sicut beatos tres Magos Gaspar, Balchazar, & Melchior eas offerente ad mysteria tua cognoscenda illuminare & ad te devote adorandum accedere, atq; ab insidiis, & periculis custodire dignatus es: ita fideles tuos in tua misericordia sperantes, qui eisdem creaturis tuis Auro, Thure, & Myrrha in tuo nomine usi fuerint, lumine tuo illustrare, amore tuo inflammare, & à cunctis adversitatibus, & ab omnibus insidiis & nocuentis Diabolicis præservare digneris. Qui cum eodem Patre & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

*¶ Et aspergatur aqua Benedicta.*

APPLICABILE. 3.

*¶ Scilla (quæ planta est) sup se deferenda benedictio, ad securitatem ab insultis maleficiis, & Diabolicis obtinendam.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini, R. Qui fecit cælum & terram.

EXORCISMUS.

Gen. 2.

**E**xorcizo te creatura, in genere Plantarum Scilla, per Dominum Deum factorem tuum, qui post diluvium

luyum, benedicens Noe, & filiis suis ait; Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum; Quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Et per sapientem suum, melius ad olera cum charitate, quàm ad vitulum saginatum cum odio, dixit esse, vocari, ut desuper in te divina bonitate, adveniente benedictione sanctificeris, † adeo ut quicumque te super se portaverit, in universalis creatoris honorem ab omni maleficio sit securus, & confusus Diabolus fugiat pavore correptus, nec amplius plasma Dei, quocumque modo molestare, sive phantastica illusionem contrerere præsumat; Et per eum, qui ventur<sup>9</sup> est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O.

**D**ominator hominum justus, Pater omnipotens, tremende Deus, qui per Malachiam Prophetam *2. Reg. 43.* tuum, de utroque adventu filii tui Domini nostri Jesu Christi revelans dixisti; Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam; Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis, *Mal. 3.* Ecce venit: Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse .n. quasi ignis conflans, & quasi herba Fullonum; atque per Ezechielē servum tuum, sanctis & amicis tuis bearitudinē spopodisti, dum diceres; In pascuis ubi errimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum; Ibi requiescent in herbis virentibus. Benedicere, † & sanctificare, † digneris hanc plantam, ut quicumque eam super se portaverit, ab omni maleficiorum insultu sit liber, atque ab incurfu, & Dæmonio meridiano sit firmissimè tutus; Ad laudem, & gloriam sancti nominis tui, qui cum eodem Jesu Christo, & Spiritu Sancto; vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.



*G* Aspergatur aqua benedicta.

APPLICABILE. 4.

*G* Charta benedictio pro Brevibus conscribendis, & sacris rebus, à collo in pectore pendentibus, gerendis, ad fugandum Diabolum, & maleficium destruendum.

V. Adjuutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

EXORCISMUS.

*Tob. 7.*

*Psal. 105.*

**E**xorcizo te charta, quæ in usum humani generis ad referendum etiam magnalia de lege Domini, digna visa es: Et per divinam voluntate chartæ conjugii à Raguele inter Tobiam, & Saram celebrati, in quo etiam opere Angelico Diabolus extitit victus: Per Dominum Deum universi, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui extendit cælum sicut pellem, in qua celestibus splendoribus quasi characteribus scribens, cælos facit suam gloriam enarrare, ut benedicaris, † & sanctificeris ad omne opus Diaboli destruendum, sive illud præsentis sit, sive potentis, sive maleficii, ut quicumque te sacris verbis respersam, vel sacram rem, concludentem, super se portaverit, ab omni infestatione Diabolica liberetur. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

*Psal. 23.*

*Psal. 94.*

*Iere. 36.*

**D**omine potens in prælio: Deus ultionum, & Patrum nostrorum, qui per Moysen, & Prophetas, antiquorum voluminum scriptores etiam tuæ divinæ bonitatis, mysteria divinitus revelasti, & per sanctos Evangelistas, & Apostolos tuos, novi testamenti, filii tui paginam scribi voluisti: Quique per Jeremiam Prophetam tuum, Cadaver Joachim Regis Juda projiciendum ad æstus per solem, & ad gelu per noctem, eidem

eidem nunciasti, quoniam tres pagellas, vel quatuor cū Judi legisser, in libro à Baruch, filio Neriz, ex ore Jeremix scripto, eundem in ignem projecit, atque comburi fecit, benedicere, † & sanctificare digneris hanc chartā, ut quicumque vel sacris scriptam, vel sacra concludentem, super se dignè portaverit, ita misericordiam tuam gaudeat affluisse, ut ab ipso Sathanicæ oppressiones, & maleficiorum omnium rurbines evanescant, per Christum dominum nostrum. Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICABILE. 5.

¶ *Alia benedictio vulgata, sive conjuratio chartæ, in qua debent scribi Brevia, applicanda, seu appendenda collo vexati, vel secum deferenda.*

CONJURATIO.

**C**onjuro te charta † per verba illa tituli triumphalis saluatoris Domini nostri Jesu Christi, & per omnia alia verba quæ dicuntur de Creatore omnium creaturarum, & per illum, qui potest tribuere, & facere, quod tantam obtineas virtutem, ut omnia, quæ super te scribentur, effectum salutis æternæ perducere valeat, ut omnis fallacia, & Virtus Diaboli quæar de te, & intret in te omnis virtus prædicta sine mora. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus † Sancti. Amen.

APPLICABILE. 6.

¶ *Breve Sancti ANTONII Confessoris de Padua, in sinu, pro liberatione à Diabolicis infestationibus, & illusionibus, portandum: De quo legitur in quadam legenda ipsius Sancti, Venetiis impressa Apud Georgium Angelerium MDLXXVII. Cap. 35. Quod mulier quadam pericula de Villa Santarena Regni Portugallie, tempore Regis Donis, dum obsideretur à Diabolo,*



Et multipliciter vexaretur ita, ut etiam dolose ipsi mortem voluntariam pro salute anime sue diversimodè suaderet: *Quadam die in Festo prædicti Sancti, Diabolicis prædictis suasionibus obtemperans, dum furens in flumine ad seipsam pergeret necandum; Et ante ejusdem Sancti Aedem contingeret pertransire, deprecata est eum, ut sibi super hoc divinum consilium et auxilium postularet: In hujusmodi autem supplicatione perseverans, sopore correpta, suaviter obdormivit: Quando audiuit vocem prædicti Sancti dicentem sibi: Respice in sinu tuo, et lege scriptum, et continuo liberaris: Quod cum fecisset experges facta mulier, à Diabolo statim extitit liberata. Prædictus autem Rex, cum à talis mulieris viro de hoc audisset, scriptum petiit, et obtinuit, atq; inter sacra reposuit. Ablato verò à muliere scripto, iterum in potestatem Diaboli rediit, verumtamen cum prædicti scripti à Rege habuisset exemplar, libera quoq; fuit. Scriptum autem hujusmodi, in charta benedicta habendum, tale erat.*

**E**cce crucem Domini † fugite partes adversæ: vicit Leo de tribu Juda: radix David. Alleluia, Alleluia.

APPLICABILE. 7.

¶ Breve ad collumportantum pro liberatione Demoniaci, scriptum in charta benedicta benedictione præcedenti, tale est.

† **I**esus Nazarenus Rex Judæorum: Verbum caro factum est & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & Veritatis.

APPLICABILE. 8.

¶ Breve

*¶ Breve scribendū in charta benedicta prædita, & à collo in pectore pendēs, portandū, pro liberatione à Diabolicis vexationibus, tale est.*

**I**N nomine Patris, † & Filii †, & Spirit<sup>o</sup> sancti †, Amē.  
 † Hel † Heljon † Sother †, Hemanuel † Sabaoth † Agla  
 † Terragramaton † Agios † Otheos † Ifschiros † Arantos †  
 Jehova † Vā † Adonay † Sabay † Homoufiō † Messias †  
 Elereheye † Increat<sup>o</sup> Pater † Increat<sup>o</sup> Fili<sup>o</sup> † Increat<sup>o</sup> Spirit<sup>o</sup> Sanct<sup>o</sup> †  
 Jesus Christus vincit † Christus regnat † Christus imperat †  
 Christus ab omni vexatione Diabolica perverfiratis te. N. defendat. Amen.

*APPLICABILE. 9.*

*¶ Incensi benedictio portandi, & odorandi pro diabolica quacunq; invasione abolenda.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

**EXORCISMUS.**

**E**Xorcizo te creatura incensi per Deū vivum, per Deum verū, per Deum Sanctū, per Deum, qui Moysi servo suo, Altare aureū testo testimonii contra velum, ad adolendum sup eo incensum aromatū, ponendū impavit: ut benedicaris † & sanctificeris † divina desuper adveniente virtute, ut quicunq; te sup se portaverit, vel odoratu senserit, fiat sacrificiū Domini in odorē suavitatis, ad expulsionem Diaboli & maleficiorum destructionē, ut confortatus ab Angelo Domini bono semper existat, sicut Zacharias sacerdos Domini, cū Sacerdotio fungeretur, in ordine vicis suæ ante Deum, & sorte exiret ut incensum poneret. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & morruos, & seculum per ignem.

*Exo. 30.*

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

**ORATIO.**

**F**ortissime Deus spirituum universæ carnis, qui a pertè revelatus fuisti domui Patri Eli, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, & elegisti eum ex omnibus tribus Israel in Sacerdorem, ut ascenderet ad Alta-

*Nu. 16.*

*1. Reg. 20.*



*Psal. 140.*

re tuum, & adoleret tibi incensum, & portaret Ephora-  
coram te; Dirigatur quæsumus oratio nostra, sicut incen-  
sum in conspectu tuo; & propitius ad nostræ cle-  
mens respice officia servitutis, ut benedicere † & san-  
ctificare † digneris hanc creaturam Incensi, ut quicum-  
que in nomine tuo super se portaverit, vel odoratu sen-  
ferit, ab omni infestatione Diabolicæ tyrannidis, & Ma-  
leficii oppressione, salvus semper existat. Per Dominum  
nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vi-  
vit, & regnat in unitate spiritus Sancti Deus per omnia  
sæcula sæculorum. Amen.

† *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICABILE. 10.

† *Alia vulgata benedictio incensi ad profu-  
migandum Demoniacos.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit Cælum, & terram.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

## ORATIO.

**D**omine Deus Omnipotens, cui astat exercitus  
Angelorum cum tremore, dignare bene † dicere,  
& sancti † ficare hanc creaturam incensi, ut omnes  
languores spiritus maligni odorem incensi hujus senti-  
entes fugiant procul & separentur ab hac creatura tua.  
N. quam redemisti pretioso sanguine tuo. ut de cætero  
non le datur à morsu antiqui serpentis. Per te Jesu Chri-  
ste Salvator mundi, qui vivis, & regnas in sæcula sæcu-  
lorum. Amen.

† *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICABILE. 11.

† *Alia benedictio Incensi, ad idem, è Sacer-  
dotali desumpta.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

R. Qui fecit cælum, & terram.

ORA-



## O R A T I O.

**T**ua quæsumus Omnipotens sempiternæ Deus immensæ majestatis dextera, hanc creaturam Incensi bene ꝑ dicere & sancti ꝑ ficare digneris, ut in virtute sancti nominis tui, omnes immundorum spirituum phantasticos incurfus effugare, omnesque morbos. reddita sanitate, expellere, ubicumque fumus ejus efflaverit mirabiliter possit, atque tibi Omnipotenti Deo odore fragantissimo perpetua suavitate reddere. Per Christum dominum nostrum. Amen.

¶ *Aspergatur aqua Benedicta.*

APPLICABILE. 12

¶ *Seminum Ypericonis super se deferendorum benedictio, ad Maleficium infirmandum, & Diabolum coarctandum.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit Cœlum, & terram.

## EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te creaturâ Dei per æternum productorem tuum, verbum æternum, dominum nostrum *Matt. 13.* Jesum Christum, qui in hunc mundum veniēs, & ex abundantia pietatis suæ verbum vitæ proponens, se satori similem fecit exeunti seminare semen suum, illudq; semini comparavit, secus viam, per petrosa, inter spinas, & in terram bonam cadenti; Atque per Sanctum *2. Cor. 9.* Apostolum suum administratorem seminum seminanti, panem quoq; præstaturum esse ad manducandum promisit, & semen multiplicatum, atque incrementa frugum justitiæ augmentaturum; ut divina benedictione sanctificeris ꝑ ad omne seminatum, vel fortè seminandum, Maleficium infirmandum, & seminatorem *Isai. 17.* malorum omnium Diabolum coarctandū, ita ut, utrūque rapiatur sicut pulvis montium à facie venti, & sicut turbo corā tempestate, & quicūq; te super se portaverit, in prædictorū, similiūq; mysteriorū memoriâ gaudeat se novisse

novisse in necessitatibus divinum auxilium affuisse. Per eundem Dñm nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculū per ignē. Amen.  
 V. Domine exaudi orationem meam.  
 R. Et clamor meus ad te veniat.

## ORATIO.

Lev. 19.

Isai. 55.

Isai. 30.

**C**reator omnium, universi provisor, legiferque gentium, qui inter cætera consilii tui mandata, per Moysen famulum tuum, filiis Israel præcepisti, ne agrum sererent diverso semine: Et per Esaiam Prophetam, verbum tuum, quod egredietur de ore tuo, imbri, & nivi de cælo cadenti, & illuc ultra non revertenti, terramq; inebrianti, infundenti, & germinare facienti, unde det semen ferenti, & panem comedenti, assimilari fecisti: te suppliciter exoramus, ut benedicere †, & sanctificare † digneris hanc creaturam tuam, ut sicut feminalem retinent virtutē suam, ita cælestiali efficacia conspergatur, ut quicumque eam super se portaverit, ab omni maligno spiritu sit securus, & à quocunq; maleficio tutus: quod si forsitan jam paratū est, sine usus ejus jã consumatus existit, subito dū nosperat, veniat contritio ejus, & cōtinuatur sicut conterit lagenā figuli cōtritione prævalida. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit: & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorū. Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

*APPLICABILE. 13.*

¶ *Ruta in charta benedicta prædicta, super se portande, & olfaciende, ad omnem invasionem Diabolicam, & maleficam repellendam, Benedictio.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

## EXORCISMUS.

Psal. 103.

**E**xorcizo te creatura Rutæ per Dominum Sanctum, Patrem omnipotentem, & æternum Deum, qui producit

ducit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum: Quiq; per Apostolum filii tui Domini nostri Jesu Christi, infirmos docuit olera manducare, ut benedictis, † & sanctificeris, † ad virtutem invisibilem retinendam, ita ut quicumque te super se portaverit, & te etiam olfactu senserit, careat omni immunditia diabolicæ infatuationis, atque Dæmones omnes, & maleficia quæcunq;, quemadmodum olera herbarum cito decidant. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, mortuos, & secula per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O.

**A** Eterne Deus, Pater omnipotens, & Domine Sæc. etc, qui inter cætera tuæ virtutis opera, post congregationem aquarum in locum unum, germinare terram herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, mandasti: Atq; per filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, Mentam, & Rutam, & omne olus decimari à prætereuntibus judicium, & charitatem Dei, te nolle declarasti: Quæsumus clementiã divinæ bonitatis tuæ, ut benedicere, † & sanctificare † digneris hanc Rutam, ut quicumq; illã super se portaverit, vel etiam tantum olfactu senserit, ab omni invasione diabolica, atq; malefica sit liber, & securus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

*APPLICABILE. 14.*

¶ *Alia vulgata benedictio Ruta.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram;

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

ORA.



**B**ene † die Domine Jesu Christe hanc Rutam, & infunde ei per tuam virtutem tuam sanctam bene † dictionem caelestem, ut quicumque ex ea suffumigatus fuerit, vel supra se eam habuerit, nullus inimicus ei nocere possit, & in quibuscumq; locis aspersa fuerit, vel posita, recedat, & contremisecat Diabolus, & fugiat pavore, & non presumat amplius inquietare, vel illudere creaturas tuas. Inde supplico Domine, ut mittas Sanctum Angelum tuum Raphaelem, qui evulsi sit & expulsi à Sara, & Thobia Demonē mortiferū, & fatentem, & illum conterat, & perdat de cunctis animabus colentium Deum, de scamnis, de angulis, de lectis, & de omnibus locis in quibuscumq; habitet, requiescat, vigilet, consistat, Nec valeat amplius inquietare, vel pavorem immittere in illos, quos sancta unctio munivit. Benedicaris † igitur Ruta in nomine Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Trinitatis, ut sis exterminatio diabolica, & omnium contubernaliū ejus. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

## APPLICABILE. 15.

*¶ Profumigatio horribilis, ejusq; vulgata benedictio, ad expellendum Diabolum, & maleficium solvendum.*

Recipe	}	Galbani	} Ana Drag.
		Sulphuris	
		Assa ferida	
		Aristolochia	
		Ypericonis	
		Ruta.	

*¶ Quibus paratis, benedicantur ea omnia, benedictione sequenti.*

¶ Adjuco

V. Adjuutorium nostrum in nomine Domiae.

R. Qui fecit caelum, & terram.

### EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te creatura Galbam, sulphuris, Assafoetizæ, Aristolochizæ, Ypericonis & Rutæ, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum: Per Sanctissimam Trinitatem, Patrem, † Filium, † & Spiritum Sanctum, † & per Deum, qui omnia creavit ex nihilo, per eum, qui expulit pravos Angelos de caelo ad ista inferiora: Per Jesum Christum filium ejus Dominum nostrum, qui dabit prædestinatis felicissime regnum æternum, & reprobis regnum Infernale perpetuum: Per omnia nomina Sancta ipsius Dei conjuro, † exorcizo, † & per omnia supradicta, ut sis in defensionem nostram, & efficiaris perpetua fumigatio exorcizata, bene † dicta, & conse † crata in salutem nostram, & omnium fidelium Christianorum, & perpetua pœna sis omnibus malignis spiritibus, & fortissimus, ac insinatus ignis eorum, & magis quàm sit infernalibus spiritibus sulphur, & ignis infernalis, & omnis pœna, & omnia supradicta sint nobis defensio, & perpetua expulsio, & suffumigatio omnium spirituum, ac solutio omnium ligaminum, & facturarum, ac præstigiorum: ita ut nihil prædictorum nos, nec hanc creaturam Dei. N. neque locum istum modo aliquo offendere, & impedire valeat. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

### O R A T I O.

**I**neffabilem clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut sicut tu es unus in essentia, & trinus in personis, scilicet Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, ita bene † dicere, & conse † crare per immensam clementiam, & pietatem tuam digneris hanc creaturam suffumigationis, ut sit omnibus Christianis ipsam sumentibus, odor, & defensio perpetua contra omnes malignos spiritus, & omnes incantationes præstigia, ac maleficia: sitque perpetua expulsio, malignorum  
P
spirituum,

Spirituum, & omnium incantationum, facturarum, ac præstigiorum annihilatio, ac solutio perpetua omnium ligationum, & dissolutio omnium maleficiorum, & in quocunq; loco odor ejus venerit, sive affuerit, nullus spiritus, nullaq; incantatio Diabolorum, nulla fascinatio, nullum maleficium, nullaque molestia maligni spiritus possit durare, neque stare modo aliquo: sed statim tua immensa virtute, & potentia fugiant perpetuo, & procul expellantur omnes insidiæ latentis inimicorum, ab eorum inhabitationibus dissolvantur, & annihilentur per signum Sanctæ Crucis † Domini nostri Jesu Christi. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICATIO. 16

¶ *Suffumigium, eiusq; benedictio, ad expellendum Demones, & maleficia comminuenda.*

Recipe	}	Seminum ypericonis.	Ana
		Rutzæ	Drac.
		Incensi	VI.

¶ *Quæ parata benedicantur benedictione sequenti.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

## EXORCISMUS,

**E**Xorcizo te composita suffumigationis materia per Dominum creatorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium, cujus sancto nomini, cum Salomon filius David mirabile templum struxisset, ad adolendum quoq; incensum coram illo, fumigandaq; aromata, consecravit, ut benedicaris, † & talē de cælo venientem virtutē recipias, ut sis malignis spiritibus, expulsio sempiterna, atq; incantationum, facturarū, maleficiorumq; omnium. Magorum, Strigium, aut divinantium perpetua comminatio, ita ut quicūq; fumo ex te accepto, odorem



Odorem senserit, careat omni immunditia diabolicæ fraudis, & maleficiorum omnium generum ligaminibus contractis, liberius servire valeat Redemptori suo. Qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O.

**D**omine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui loquens ad Moysen servum tuum, Aaron fratri suo, mandare præcipisti, ut post vituli sacrificium, assumpto thuribulo, quod de prunis Altaris impleffet, hauriens manu compositū Thymiama in incensum, ultra velū intraret in sancta, & positis super ignē aromatibus, nebula eorum, & vapor operiret oraculū, benedicere † & sanctificare, † & consecrare † digneris hanc compositā suffumigationis materiā, ut ubicunq; nebula & vapor, ac odor ipsius pervenerint procul inde perfidus Sathan, ac tuis viribus contractus: & spiritus Sanctus à tua sede dimissus assistat, atq; cuicumq; ex ea fumum sumpserit, à malignorum quorumcunque spirituum invasione liberetur, & ab omni maleficio quomodocunq; factō evacuetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate sancti Spiritus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Levit. 16.

*¶ Aspergatur aqua benedicta. Et quando ex dispositione Exorcistæ ad hujus suffumigii usum, opus erit accedere, projiciet in ignē suffumigium: Ignis autem sit benedictus, ut dictum est in parte prima hujus nostræ Practicæ Exorcistarum, Post-exorcizatione 3. pag. 189. & inde ascendente fumo, curet Exorcista, ut patiens persona, facie super fumum conversa, vaporem fumi suscipiat, dum manu posita super vertice capitis illius, dicit,*

**E**Xtinguantur in te virtus Diaboli, benedictæ suffumigationis virtute, & per impositionem manuum nostrarum: Imò per invocationem Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, atq; omnium simul Sanctorum Amen.

*APPLICABILE. 17.*

¶ *Suffumigium ad maleficia comminendū, & Demones expellendum.*

Recipe	{ Storacis calamitæ. Thuris optimi. Mirrhæ. Galbani. Laudani. Gariophylorum. Musci. }	Ana
		Drac. X.
		Grana duo

¶ *Benedictio hujus suffumigii sit illa eadem qua benedictum fuit suffumigium immediatè præcedens, atq; in usu istius servantur ea, quæ in usu illius dicta sunt.*

*APPLICABILE. 18.*

¶ *Olei olivarum Benedictio pro maleficio unctiōe dissolvendo, & Diabolo propulsando, cum modo ungenti patientes ex ipso.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.  
R. Qui fecit Cœlum, & terram.

EXORCISMUS.

Exo. 29.  
Lev. 20.  
1. Reg. 10.  
4. Reg. 2.

**E**Xorcizo te creatura Olei per Deum vivum † per Deum verum † per Deum Sanctum: † Per Deum Trinum, & unum, qui te Sacerdotes suos, & Reges inungi mandavit, ut benedicaris † ad eò quod extinguitur in te virtus Diaboli, & transeas in unctiōem spiritalē ad omnia maleficia destruenda, ad omne opus Diaboli

Diaboli eradicandum, & ad omne Phantasma cujuscunque adversarii fugandum, & quicumq; ex te unctus fuerit, sit ignis destruens omnia maleficia: sit terribile adversus omne opus Diaboli propugnaculum, sit gloriosus omnium phantasmatum nocentium victor, & sanitatem perfectam in utroque homine adipiscatur. Per eum qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O .

**M**iserator Domine Deus Omnipotens, qui oleum unctionis sanctæ super caput Aarō servi tui fundi mandasti, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & in hanc creaturam, Olei, virtutem tuæ *Exo. 29.* gratiæ † benedictionis, & sanctificationis † include, ut sicut ex olivæ ligno productum, in humani generis usū cadit, ita à te, plenitudine tuæ sanctificationis respersio, sit tormentum Diaboli sit omnium operum Sathanæ destructio, atq; omnium maleficiorum, factorum, & incantationum exterminatio: ut quicumq; ex eo unctus fuerit, efficiatur malignis spiritibus vas tremendū virtute divina repletum, ad evertendas omnes iniquas machinationes visibilis, & invisibilis hostis, & ad malas facturas quomodocunque factas destructiva propulsatio, ut sanitatem mentis, & corporis, te largiente, benignè suscipiat Per te Dominum nostrum Patrem Filium & Spiritum sanctum, qui vivis, & regnas in secula seculorum. Amen.

*¶ Aspergatur aqua benedicta. Et quando Exorcista, pro patiente persona ungens hoc oleo uti voluerit, exorcizet prius ipsam unica saltem exorcizatione completa, & intingat deinde extremitatem pollicis sui in ipso, ungatq; quatuor partes infra dispositas in modum crucis, secundum formam sequentem.*



Symb.  
Ath.  
Psal. 22.

¶ *Frontem ungat, & dicat.*

**P**ater, qui à nullo est factus, nec creatus, nec genitus impiguet in oleo caput tuū, & calice suo sancto te inebriet, ut in te omne maleficium dissolvatur, & Diabolus propulsetur.

¶ *Pedem utrunq; ungat, & semel dicat.*

Symb.  
Ath.  
Psal. 44.

**F**ilius, qui à Patre solo est, non factus nec creatus sed genitus, ipse ungat te Deus, Deus tuus oleo lactiæ, ut in te omne maleficium dissolvatur, Diabolus propulsetur, & omne malignum destruat.

¶ *Manuum utriusq; pulsus ungat, & semel dicat.*

Symb.  
Ath.  
Psal. 88.

**S**piritus Sanctus, qui à Patre, & filio est, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens, oleo sacro suo ungat te: manu sua auxilietur tibi, & brachiū suum confortet te, ut in te omne maleficium dissolvatur; Diabolus propulsetur, omne malignum destruat, & nocivum auferatur.

¶ *Pectus ungat, & dicat.*

Symb.  
Ath.  
Psal. 103

**D**ivina unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate dehilaret faciem tuā in oleo, & pane suo cor tuū confirmet, ut in te omne maleficium dissolvatur; Diabolus propulsetur, malignum destruat, nocivum auferatur, & omne bonum inducatur. Amen,

### APPLICABILE. 19.

¶ *Oleum conficiendum ad unguendum maleficiatos, ejusq; vulgata & benedictio, & usus.*

Recipe 

Rutarum
Salviæ
Aneti

 Ana ad libitum.

Et { Cineris olivarū } parum.  
{ Aquæ benedictæ. }

¶ *Et omnia simul fac bullire in oleo olivarum, deinde ipsum benedicas sequenti benedictione.*

V. Adju-

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

### EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te spiritus immunde per Deum † vivum, per Deum † Sanctum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus Djaboli, omnis incurfus, & omne phantasma inimici eradicetur, & effugiant ab hac creatura olei, & omniū herbarū, quæ in eo sunt, ut sit ignis ardēs adversus oēs insidias inimici, ut quicūq; unctus fuerit hac creatura olei, sit sanitas, & sinceritas super eum & spiritus maligni, & phantasticæ visiones, unctio- ne hujus olei separentur, & elongentur ab eo. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

*¶ Quando autem usus predicti olei exigetur, per octo, vel decem dies, unctio- nem continuabis. Et unaquaq; die unge patientem ex predicto oleo in istis locis: ad oculos, ad frontem, ad aures, in pectore, ad cor, ad pulsus manuum, ad manus, ad pulsus pedum, & ad pedes, & unguendo singula loca, dicas sequentia verba.*

Ego ungo te N. hoc oleo benedicto, & per istā unctio- nē absolvo te † ab omnib. maleficiis, incantationibus, ligaturis, signaturis, & facturis, tibi arte Diabolica factis. In nomine Patris, & filii, & Spiritus † Sancti. Amen.

### APPLICABILE. 20.

*¶ Aqua benedictio communis ad fugandam Diabolum, & adversa tollendum, cujus usus est in asperione.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

### EXORCISMUS SALIS.

**E**Xorcizo te creatura salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctū, per Deū, qui te

per Elisæum Prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus sumentibus te sanitas animæ, & corporis: & effugiat, atq; discedat à loco, in quo aspersum fueris omnis phantasia, nequitia, vel versutia Diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus est iudicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem.

## ORATIO.

**I**mmensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum humani generis tribuisti, benedicere, † & sanctificare † tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis, & quicquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitia. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

## EXORCISMUS AQUÆ.

**E**xorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, † & in nomine Jesu Christi † filii eius Domini nostri, & in virtute Spiritus Sancti, † ut fias aqua exorcizata ad effugandum omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis. Per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est iudicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

## ORATIO.

**D**eus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multitudinis purificationibus preparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigēdos Dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domi-



in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperfit, careat omni immunditia, liberetur à noxia: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem Sancti nominis tui expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*¶ Hic mittat sal in aquam in modum Crucis, semel dicendo.*

Commistio salis, & aquæ pariter fiat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

V. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

## O R A T I O.

**D**EUS invictæ virtutis author, insuperabilis Imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientes sævitiam superas, qui hostiles nequitias potèter expugas: te Domine trementes ne supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis, aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, ut ubicunq; fuerit aspersa, per invocationem Sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur & præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## A P P L I C A B I L E 21.

*¶ Aqua, quæ in festo Epiphaniæ Domini consuevit in Ecclesiis solemniter benedici, habeatur*

quoq; ad Diabolum fugandum, diabolicag; tol-  
lendum, & ideo pro hujusmodi usu præservetur,  
vel privatè benedicatur debita benedictione se-  
quenti, è Sacerdotali desumpta.

## RESPONSORIUM.

**H**odie Cæli aperti sunt, & Mare dulce factum est.  
Terra exultat, montes & colles lætantur; Quia  
à Joanne in Jordano Christus Baptizatus est.

V. Quid est tibi mare, quòd fugisti, & tu Jordanis  
quia conversus es retrorsum? Quia à Johanne in Jorda-  
no Christus baptizatus est.

¶ Finito responsorio ante alveum aquæ dicat  
Sacerdos.

## ANTIPHONA.

Vox Domini super aquas, alleluja : Deus majestatis  
intonuit, Alleluja,

## PSALMUS.

**A**fferte domino filii Dei : afferte Domino filios a-  
rierum. Afferte domino gloriam, & honorem,  
afferte domino gloriam nomini ejus, adorete do-  
minum in atrio Sancto ejus. Vox domini super aquas,  
Deus majestatis intonuit : dominus super aquas multas.  
Vox domini in virtute : vox domini in magnificentia.  
Vox domini confringentis cedros ; & confringet do-  
minus cedros Libani, Et comminuet eos tanquam vi-  
tulum Libani, & dilectus quemadmodum filius uni-  
cornium. Vox domini intercidentis flammam ignis :  
vox domini concurentis desertum Cades, Vox domi-  
ni præparantis cervos, & revelabit condensâ ; & in tem-  
plo ejus omnes dicent gloriam, Dominus diluvium in  
habitare facit : & sedebit dominus Rex in æternum,  
Dominus virtutem populo suo dabit : dominus bene-  
dicet populo suo in pace, Gloria patri &c.

ANTI-

## A N T I P H O N A .

In Ecclesiis benedicite dominum, alleluia : de fontibus  
Israel, alleluia.

## P S A L M U S .

**E**Xurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant  
qui oderunt eum à facie ejus. Sicut deficit fumus,  
deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant  
peccatores à facie Dei. Et justii epulentur, & exultent in  
conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Cantate Deo,  
psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit  
super occasum: dominus nomen illi. Exultate in con-  
spectu ejus: turbabuntur à facie ejus patris orphano-  
rum, & judicis viduarum. Deus in loco sancto suo: De-  
us qui inhabitare facit unius moris in domo. Qui e-  
ducit vinctos in fortitudine: similiter eos, qui exaspe-  
rant, qui habitant in sepulchris. Deus cum egredere-  
ris in conspectu populi tui: cum pertransires in deser-  
to. Terra mota est, & enim cæli distillaverunt à facie  
Dei Sinai: à facie Dei Israel. Pluviam voluntariam se-  
gregabis Deus hereditati tuæ: & infirmata est: ut verò  
perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea: parasti  
in dulcedine tua pauperi Deus. Dominus dabit verbum  
angelizantibus: virtute multa. Rex virtutum dilecti:  
& speciei domus dividere spolia. Si dormiatis inter me-  
dios clericos, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora  
dorsi ejus in pallore auri. Dum discernit cælestis Reges  
super eam: nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei,  
mons pinguis. Mons coagulatus? Mons pinguis: ut quid  
suspicarini montes coagulatos? Mons in quo bene-  
placitum est Deo habitare in eo: etenim dominus ha-  
bitabit in finem. Currus Dei decem millibus multiplex  
millia lætantium: dominus in eis in Sinai in Sancto. A-  
scendisti in altum, cepisti captiviratem: accepisti dona  
in hominibus. Etenim non credentes: inhabitare do-  
minum Deum. Benedictus dominus die quotidie:  
prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorū,  
Deus noster Deus salvos faciendi: & dominus domini



exitus mortis. Deus confringet capita inimicorum suorum : verticem capilli perambulantium in delictis suis. Dixit dominus ex Bafan convertam : convertam in profundum maris. Ut intingatur pes tuus in sanguine : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto, Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus : in medio juvenularum tympanistriarum. In Ecclesiis Benedicite Deo domino : de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescensculus : in mentis excessu Principes Juda duces eorum : principes Zabulon, & principes Nephtalim. Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. A templo tuo in Hierusalem : tibi offerent reges munera. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum; ut concludant eos, qui probati sunt argento. Dissipantes, quæ bella volunt ; venient legati ex Aegypto: Aethiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ caritate Deo : psallite domino. Psallite Deo qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Ecce dabit suæ vocem virtutis : date gloriam Deo, super Israel magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, Gloria patri, &c.

### ANTIPHONA.

Ipse liberavit me alleluja ; de laqueo venantium, alleluja.

### PSALMUS.

**Q**ui habitat in adjutorio altissimi : in protectione Dei cæli commorabitur. Dicit domino susceptor meus es tu : refugium meum Deus meus sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium ; & à verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi ; & sub penis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris : ab incursu, & dæmonio meridiano. Cadente à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis ; ad te autem non appro-

appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandavit de te : ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te : ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Superaspidem, & basiliscum ambulabis : & conculcabis leonem & draconem. Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum : & ostendam illi salutare meum. Gloria Patri, &c.

¶ *Sacerdos genuflexus dicat.*

## L I T A N I Æ.

**K** Yrie eleyson.  
Christe eleyson.  
Christe audi nos.

Christe audi nos.

Pater de Cælis Deus.

Fili Redemptor mundi Deus.

Spiritus Sancte Deus.

Sancta Trinitas unus Deus.

Sancta Maria.

Sancta Dei genitrix.

Sancta Virgo Virginum.

Sancte Michael.

Sancte Gabriel.

Sancte Raphael.

Omnes Sancti Angeli, & Archang.

Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines.

Sancte Joannes Baptista.

Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ.

Sancte Petre.

Sancte Paule.

Sancte Andrea.

Miserere nobis.

miser. nobis.

miser. nobis.

miser. nobis.

ora pro nobis.

ora.

ora.

ora.

ora.

ora.

orate.

orate.

ora.

orate.

ora.

ora.

ora.

Sancte

Sancte Jacobe.	ora.
Sancte Joannes.	ora.
Sancte Toma.	ora.
Sancte Jacobe.	ora.
Sancte Philippe.	ora.
Sancte Bartholomee.	ora.
Sancte Matthæe.	ora.
Sancte Simon.	ora.
Sancte Thadæe.	ora.
Sancte Mathia.	ora.
Sancte Barnaba.	ora.
Sancte Marce.	ora.
Sancte Luna.	ora.
Omnes sancti Apostoli, & Evangelist.	orate.
Omnes sancti discipuli Domini.	orate.
Omnes sancti Innocentes.	orate.
Sancte Stephane.	ora.
Sancte Laurenti.	ora.
Sancte Vincenti.	ora.
Sancte Fabiane.	ora.
Sancte sebastiane.	ora.
Sancti Joannes & Paule.	orate.
sancti Cosme, & Damiane.	orate.
sancti Gervasi, & Pothasi.	ora.
sancte Petre martyr.	ora.
Omnes sancti Martyres.	ora.
Sancte silvester.	ora.
Sancte Gregori.	ora.
Sancte Ambrosi.	ora.
Sancte Hieronyme.	ora.
Sancte Augustine.	ora.
sancte Martine.	ora.
sancte Nicolae.	ora.
sancte Bonaventura.	ora.
Sancte Ludovice.	ora.
Omnes sancti Pontifices, & Conf.	orate.
Omnes sancti Doctores.	orate.
sancte Benedicte.	ora.
	Sancte



Sancte Dominice.	ora.
Sancte Antoni.	ora.
Sancte Francisce.	ora.
Sancte Thoma.	ora.
Sancte Vincenti.	ora.
Sancte Bernhardine.	ora.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ.	orac.
Omnes sancti sacerdotes, & levitæ.	orac.
Sancta Maria Magdalena.	ora.
Sancta Lucia.	ora.
Sancta Agata.	ora.
Sancta Agnes.	ora.
Sancta Cecilia.	ora.
Sancta Catherina.	ora.
Sancta Clara.	ora.
Sancta Margarita.	ora.
Sancta Elisabeth.	ora.
Sancta Catharina de Sænis.	ora.
Omnes sanctæ Virgines, & Viduz.	orac.
Omnes sancti, & sanctæ Dei. Intercedite.	
Propitius esto.	Parce nobis domine.
Propitius esto.	Exaudi nos domine.
Ab omni malo.	Libera nos domine.
Ab omni peccato.	Libera nos domine.
Ab ira tua.	Libera nos domine.
A subitanea, & improvisa morte.	Libera.
Ab insidiis Diaboli.	libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,	lib.
A cæcitate cordis.	lib.
Ab inimicis nostris.	lib.
A diebus malis.	lib.
A cruciatu famis.	lib.
A peste, & clade,	lib.
A pænis inferni.	lib.
A periculo morris.	lib.
A potestate diaboli.	lib.
A malis operibus.	lib.
A spiritu fornicationis.	lib.
	A fulgure

- A fulgure, & tempestate. lib.  
 A morte perpetua. lib.  
 Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ.  
     libera nos domine. lib.  
 Per adventum tuum. lib.  
 Per nativitatem tuam. lib.  
 Per Baptisum, & sanctum jejunium tuum. lib.  
 Per crucem, & passionem tuam. lib.  
 Per mortem & sepulturam tuam. lib.  
 Per sanctam resurrectionem tuam. lib.  
 Per admirabilem ascensionem tuam. lib.  
 Per adventum spiritus Sancti Paraclæti.  
     libera nos domine. lib.  
 In die Judicii. lib.  
 Peccatores. Te rogamus audi nos.  
 Ut nobis parcas. te rog.  
 Ut nobis indulgeas. te rog.  
 Ut ad veram pænitentiam nos per ducere digneris, te  
     rogamus.  
 Ut ecclesiam tuam regere, & conservare digneris. te ro-  
     gamus.  
 Ut donum apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordi-  
     nes in sancta religione conservare digneris. te rog.  
 ¶ *Sacerdos surgat, & dicat.*  
 Ut hanc aquam bene † dicere digneris. te rogamus au-  
     di nos.  
 Ut hanc aquam bene † dicere, & sanctificare digneris,  
     te rogamus.  
 Ut hanc aquam bene † dicere, conse † crare, & sanctifi-  
     care digneris. te rog.  
 ¶ *Iterum genuflexus sequatur.*  
 Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris. te rog.  
 Ut regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram  
     concordiam donare digneris. te rog.  
 Ut cuncto populo Christiano pacem, & unitatem largi-  
     ri digneris. te rog.  
 Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, &  
     conservare digneris. te rog.  
 Ut ho

Ut hodie, & semper sine peccato nos custodias. te rogamus.

Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas. te rogamus.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas.

Ut animas nostras, Fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, te rogamus.

Ut fructus terræ dare, & conservare digneris. te rogamus.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,

Ut nos exaudire digneris, te rogamus.

Fili Dei. te rogamus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine. te rogamus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miserere nobis, Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleyson.

Christe eleyson.

Kyrieleyson.

*¶ Dicitur silentio Pater noster, &c. usq; ibi.*

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. Salvos nos fac domine Deus noster.

R. Et congrega nos de nationibus.

V. Ut confiteamur nomini sancto tuo.

R. Et gloriemur in laude tua.

V. Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo.

R. Et usque in sæculum fiat.

*¶ Sufflat in aquam tribus vicibus sic dicendo.*

☩

Exufflo



Exufflo te omnis legio Sathanz in nomine Patris †  
& filii, † & spiritus sancti. † R. Amen.

## EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te creatura aquæ in nomine Pa tris, & filii, & Spiritus † sancti : ne communis sis ullo spiritui immundo : sed dabis honorem viventi, atque regnanti Patri & Filio, & Spiritui sancto ; & ubicunque aspersa fueris, spiritus immundus ab eo loco recedat. Itaq; adjuro te creatura aquæ in nomine Jesu Christi Nazareni filii Dei vivi, regis, & judicis nostri, ut sis purgatio, & sanctificatio hominum, quos Deus ad suam sanctam gloriam vocare dignatus est. Te ergo invoco domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, ut hæc aquam exorcizate, & beneddicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus spiritus locum in ea ultra non habeat, sed ubicunque aspersa fuerit, Angelorum tuorum ibi descendat exercitus. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. R. Amen.

## Lectio libri Numeri.

**I**N diebus illis: convenerunt filii Israel ad Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt. Da nobis aquam, ut bibamus. Ingressus Moyses, & Aaron, dimissa multitudine ante tabernaculum faderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntq; ad dominum. & dixerunt, Domine Deus exaudi clamorem populi hujus: & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ ut satiati, cesset murmuratio eorum, & appareat gloria domini super eos.

## GRADUALE.

**V**Ltimo festivitatis die dicebat Jesus, Qui in me credidit: flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, alleluia, alleluia.

V. Si quis sitit, veniat, & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, alleluia, alleluia.

V. Vox

V. Vox domini super aquas majestatis intonuit, dominus super aquas multas.

Lectio Sancti Evangelii secundum  
Joannem.

**I**n illo tempore : In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat dicens. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura : flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

## EXORCISMUS.

**E**xorcizo te creatura aquæ per Deum verum per Deum sanctum : per Deum totius creaturæ, ut te mundam exhibeas contra omnem morbum atque insidias inimici, atque diabolicas potestates : ut ubicunque aspersa fueris, sit propitio Deo defensa domus ipsa, sicut defensæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per signum sanguis agni : sic defendatur domine domus famulorum famularumque tuarum per aspersionem hujus aquæ, in ipsius nomine te exorcizo, quod verbo suo fontem manare precepit ; Et in ipsius nomine te Exorcizo, qui filios Israel per medium mare eduxit. In ipsius nomine te exorcizo, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit. In ipsius nomine te exorcizo, quem Joannes in te baptizavit ; ut omnis spiritus erroris, & omnes phantasie Dæmonum per te aspersæ fugiant, & separentur de eodem loco. Per Christum dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. &c. Amen.

## SEQUITUR EXORCISMUS.

**E**xorcizo te creatura aquæ in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine domini nostri Jesu Christi, ut omnis immundus spiritus, vel incurio Sathanæ separetur à te creatura aquæ. Proinde ergo efficiaris aqua exorcizata ad effugandum omne phantasma inimici ; & ipsum inimicum effugare, & eradicare valeas,

in nomine Dei Patris omnipotentis, qui cum eodem,  
& spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum.  
R. Amen.

## ORATIO.

**B**enedic Domine hanc aquam Benedictione cælesti:  
& assistat super eam virtus spiritus Sancti: ut ubi-  
cumque aspersa fuerit, longe recedat virtus inimi-  
corum: umbra phantasmatum: incurio turbinum per-  
cussio fulminum: læsio tonitruorum: calamitas tempe-  
statum: omnis spiritus procellarum, teq; ipsum omni-  
potentem deprecamur, qui vivis, & regnas per omnia  
secula seculorum. R. Amen.

## ORATIO SUPER SALEM.

**V**irtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor Do-  
mine sancte, pater omnipotens, æterne Deus su-  
per hoc sal: cui non minimam gratiam conferre  
dignatus es, ut ex illo possint universa condiri, quæ ho-  
minibus ad escam per tuum filium Dominum nostrum  
procreari iussisti: per quem te Domine supplices exora-  
mus, ut sal istud sancti-<sup>f</sup>icare, bene-<sup>d</sup>icere, & cõse-<sup>cr</sup>are  
pro tua pietate digneris: ut ex vultu divinæ Majestatis  
tuæ virtutem tuam contra omnes immundos spiritus  
possit accipere, expellat de tabernaculis famulorum, fa-  
mularumq; tuarum quicquid potest pestiferum esse, &  
exhibeat plenum salutis effectum: deterreat præstigia,  
phantasiasq; compescat per signum sanctæ crucis filii  
tui Domini nostri: tutelam fidelissimam desideranti-  
bus præstet per hoc tuum Domine signaculum, quod  
nullius dolus, nullius pertinacia designavit. Per eundem  
Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

## ALIA BENEDICTIO SALIS.

**B**enedico te creatura salis in nomine Pa-<sup>t</sup>ris, & Fi-  
lii, & spiritus Sancti, qui te ad tutelam humano  
generi procreavit. & populo venienti ad credulita-  
tem per servos suos consecrari præcedit: Proinde roga-  
mus te Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in no-  
mine



mine Sanctæ Trinitatis, efficiatur salutare Sacramentū:  
 sitq; perfecta medicina in visceribus fidelium tuorum.  
 Per eum, qui venturus est iudicare vivos, & mortuos,  
 & sæculum per ignem R. Amen.

### ORATIO SUPER SAL.

**I**ntuere Domine hanc creaturam salis, quam usibus  
 humani generis tribuisti: & petimus omnipotens æ-  
 terne Deus, ut signum crucis † unigeniti filii tui Do-  
 mini nostri, ubi aspersa fuerit aqua hoc sale commixta:  
 sit efficax ad evacuandum omnem inimici adversariam  
 potestatem. Consumat, & arefaciat, nihilq; remaneat  
 immundum, nihil pestiferum, sed ad invocationem  
 nominis tui sit nobis mundum, ac benedictum. Per eū,  
 qui venturus est iudicare vivos, & mortuos, & sæculum  
 per ignem,

### EXORCISMUS.

**E**xorcizo te creatura salis, per Deum † verum, per  
 Deum † sanctum, per Deum totius † creaturæ: qui  
 te per Helisæum, prophetam in aquam mitti iussit,  
 ut sanaretur sterilitas aquæ, qui per Apostolum Paulum  
 dicere dignatus est. Sit cor vestrum sale conditum. Id-  
 eoq; efficere sal ad evacuandum, & expellendum ini-  
 micum omnemq; virtutem, & putredinem ejus, in no-  
 mine Domini nostri Jesu Christi. Qui vivit, & regnat.

Dominus, & Salvator noster Jesus: antequam ad cæ-  
 los ascenderet, Apostolis suis mandavit dicens. Habete  
 in vobis sal, & pacem habere inter vos.

*g Hic ponat sal in aqua dicens.*

**H**æc commixto salis, & aquæ pariter fiat in nomi-  
 ne patris, & filii, & spiritus † sancti, & in virtute  
 Domini nostri Jesu Christi: cui est honor, & glo-  
 ria in secula seculorum. R. Amen.

### EXORCISMUS.

**E**xorcizo te creatura salis, & aquæ in nomine Patris,  
 & Filii, & spiritus † sancti. Exorcizo te per Deum  
 vivum. Exorcizo te per Crucifixum. Exorcizo te  
 per Spiritum sanctum. Per eum te exorcizo, qui per

Q 3

Helisæum

Helisæum Prophetam in aquam mitti iussit dicens. Hæc dicit Dominus, sanabitur aqua ista, & non erit in ea mors, neque sterilitas. Per ipsius nomen te adjuro qui divina voce oris sui Apostolis suis loquutus est dicens, Vos estis sal terræ & cor vestrum sale sit conditum: ut omnes qui ex te sumpserint, sint sanctificati in animab. & corporibus, ut ubicumq; aspersa fueris, effuges inimici, & præstes omnibus remissionem peccatorum, expellas insidias, & excludas omnes dæmonum tentationes. Te autem conditor, & restaurator omnium elementorum tuorū: qui hæc fluente nomine tuo sanctificata ad purgationem locorum proficere iussisti, deprecor ut nominis tui invocata majestate, gratiam spiritus Sancti hæc aqua accipiat, valeatq; ad expellendas diabolicas artes, per manus servorum tuorum aspersa, per sanctificationem, quam tu domine sanctificando sanctificas, & benedicendo benedicis, ut omnis immundus spiritus aspersione hujus aquæ repulsus, & per fusus discedat; & omnis incurfus Sathanæ, & omne phantasma, omnisq; imunditia, & putredo inimicorum longè recedat: nec consistendi, aut comorandi. sed victus, ac destructus abscedat Diabolus cum omni pompa sua. Per virtutem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui vivit, & regnat cum Patre, & spiritu sancto, per omnia secula seculorum, R. Amen.

*¶ Exorcismus super aquam sale conspersam.*

**E**Xorcizo te creatura aquæ sale conspersa, per Deū vivum, & per Deum totius creaturæ: qui te in principio separavit ab arida, & in quatuor fluminibus dividere dignatus est: ubicumq; portata vel aspersa fueris, effugetur, & separetur inimicus, & omnis putredo ejus, ut ipsa domus Deo sit dicata per virtutem Domini nostri Jesu Christi: qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

Te autem creatura aquæ adjuro per Deum verum, per Deum sanctum, per eum te adjuro, qui te in principio separavit ab arida. Adjuro te per Deum vivū, qui te  
de fonte



de fonte Paradisi manare, & in quatuor fluminibus exire iussit.

*g* *Hic dividat aquam in quatuor partes.*

**E**T totam terram rigare præcepit. Adiuro te per eum, qui te in Chana Galileæ sua potentia convertit in vinum. Qui super te suis sanctis pedibus ambulavit: qui tibi nomen imposuit Siloa. Adjuro te per eum qui in te Naaman Syrum à sua lepra per manum Helizæ Prophetæ mundavit.

*g* *Hic tangat aquam dicens.*

**A**QUA Sancta: aqua benedicta: aqua lavans sordes, & mundas peccata. Adjuro te per Deū vivum, ut te mundam exhibeas, nec aliquā phantasiā in te retineas, sed efficiaris exorcizata ad effugandum inimicum, & omnes ictus fulguris, & ubicumq; aspersa fueris, sive in domo, sive in agro, sive in vineis, sive in seminatis campis, sive in fructibus, sive in angulis cubiculorum. sive in navibus, sive in puteis: vel si quis ex te gustaverit, fias ei defensio, & remedium sanitatis, ipse quoq; diabolus elongetur, & separetur ille immundus spiritus ab habitationibus famulorum, famularumq; Dei: per nomen Domini nostri Iesu Christi, qui vivit, & regnat cum Patre, & spiritu Sancto.

V. Per omnia secula seculorum. R. Amen.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum & justum est.

**O** Verè dignum & justum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & ubiq; gratias agere: Domine Deus cæli & terræ, cujus virtuti subdita sunt universa. Cujus Verbo creata sunt omnia, de super mitte quæsumus virtutem spiritus sancti super hanc creaturā, ut fiat aqua sanctificata, in nomine Pa tris, & Fi lii, & spiritus sancti. Te igitur omnipotens Deus altissima salus, & respector perpetuus humiliter rogamus, ac pe-



timus, ut nos exaudias, & miserearis, precibus nostris, quatenus ubicunq; hæc aqua aspersa fuerit, fiat te iubente causa purificationis, habeat quoq; perpetuam gratiam ipsa domus, fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam, gaudium verum, honorẽ peperit, ut omnes malevoli, invidi spiritus ab ea expellantur, & separentur. Per Christum Dominum nostrum.

Iterum te alloquor aqua, quæ habes lucis similitudinem: tu sub cælo, tu super cælum, tu sub tetra, tu super terram, sub te invoco nomen sanctum, atque mirabile Dei omnipotentis, qui te sua potentia, convertit in vinum, suspendit super cælos, congregavit in terra, miscetur in mari. Qui te arcanis, & velocibus ventis plueræ præcepit; & ad usum hominum lavacrum dedit, & sicientibus potum subministravit, super aquam etiam spiritus Domini non solum ferebatur, sed etiam fertur. Adjuro ergo te creatura aquæ per septiformem spiritum Dei vivi. Adjuro te per novem ordines Angelorũ, Adjuro te per vocem tonitruï corruscationis tremendi, & cælestis regis. Adjuro te per lignum mysterii, de quo aqua percussa, statim dulcis facta est. Adjuro te per eũ, qui omnia creavit, ne contempnas vocem humilitatis meæ, sed expellas omnem umbram, omnes satellites adversariorum, omnes machinationes Diaboli, sive spirituum immundorum, sive damnatorum, sive errantiũ, sive ex invocatione magicæ artis, sive præcantatorũ argumenta, sive draconum, & omnium volucrum, vel viperarum, quia imperat tibi Dominus Jesus Christus filius Dei vivi, quod mox ut aspersa fueris in nomine Dei Sabbaoth, sive in hominibus, sive in domibus, sive in vineis, sive pecoribus, vel quibuslibet animantibus, sive in seminatis campis, sive in qualicunq; creatura universali, quocunq; loco aspersa fueris, sive super infirmum, vel languentem, sive in potum data fueris homini in valetudine detecto, aut maligni spiritus infestatione percussio, mox expellas, & excludas omne malignũ, ut possit homo velocius salvus fieri, per virtutẽ Domini nostri Jesu Christi: quia neq; dici, neq; scribi, neque combinari potest,

potest, cui nomnn est Dei. Tu autem Domine, qui per Angelum tuum fontem Agar ostendisti, & ex eo Ismael sitientem potasti. Qui pueri tui Abrahæ in Mesopotamia preces exaudisti, & omnia desideria cordis ejus implevisti. Qui famulo tuo Moyfi in deserto eremi pertram percutere, & ex ea aquam producere, & populum rigare jussisti.

*¶ Ter dicatur sequens versus.*

Qui aquam amarã immisso ligno dulcorasti.

ANTIPHONA.

**B**aptizatur Christus, & sanctificatur omnis mundus, & tribuit nobis remissionem peccatorum; Aqua, & Spiritu omnes purificamur.

ANTIPHONA.

**B**aptizat miles regem, servus Dominum suum, Joannes Salvatorem, aqua Jordanis stupuit, columba protestatur, poterna vox audita est: Hic est filius meus.

*¶ Sacerdos dicat hanc orationem.*

**B**enedicere, & sanctificare digneris Domine hanc creaturam aquæ in nomine Pa tris, & Fi lii, & Spiritus Sancti, ubicunque aspersa fuerit in nomine tuo, om̄s jaculationes sævas inimici expellat. Illud tiam rogamus, & petimus Deus omnipotens, ut sicut ad domum Raguelis sanctum angelum tuum Raphaelẽ mittere dignatus es, ut Asmodæum dæmonem alligaret: simile quoque beneficium domibus nostris donare digneris: ubicunq; hæc unda aspersa fuerit, nunquã malignus spiritus in eadem domo consistendi, vel commorandi habeat potestatem; sed confusus protinus, & destructus abscedat. Per Christum Dominum nostrum: per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Cæli, cælorumq; virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes, Sanctus: Sanctus: Sanctus: Dominus Deus Sebaoth: pleni sunt

cæli & terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus  
qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis.

*¶ Sequitur Sacerdos.*

**E**xorcizo te spiritus immunde per Deum vivum, qui  
fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis  
sunt, ut omnes virtutes adversarii, omnes exerci-  
tus Diaboli, omnes incurfus, omne phantasma inimici  
eradicentur, & effugiant ab hac creatura salis & aquæ,  
ut sit sancta, & salutifera: & ignis ardens adversus om-  
nes insidias inimici. & ubicumq; portata, vel aspersa  
fuerit hæc creatura salis, & aquæ: sit sanitas, & sinceritas,  
& corporis medicina, ut effugiat omnis infirmitas,  
Fulgura quoque, & grandines ab aspersione huus aquæ  
separentur, effugiant, & elögentur per eum, qui ventu-  
rus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem,  
R. Amen.

Verè sanctus verè benedictus, terribilis, metuendus,  
& adorandus es Domine Deus noster: ab oculis nostris  
munda nos, & ab aliënis parce servis tuis, & fiducia va-  
leamus dicere orationem illam regalem: quam Do-  
minus, & Salvator noster per Evangelium suum orate  
docuit, dicens.

Pater noster qui es in cælis, &c.

*¶ Usq; ad illud.*

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo, R. Amen.

**L**ibera nos quæsumus Domine ab omnibus malis,  
præteritis, præsentibus, & futuris. Libera nos quæ-  
sumus Domine famulos, & famulas tuas à gladio,  
à fame, à tentatione Diaboli, à percussione seculi, ab  
infirmitatibus malis: Per liberatorem, & redemptorẽ  
nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit,  
& regnat, &c.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:  
Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus Abraham: Deus  
Isaac, Deus Jacob: exorcizantem me istam creaturam  
salis, & aquæ precor te, ut exaudire digneris in no-  
mine



mine Domini nostri Jesu Christi Nazareni filii tui, Dei vivi regis, & judicis nostri, ut sit purgatio, & purificatio omnibus hominibus, atque in eis, quibus aspersa fuerit, habeat potestatem ad effugandos immundos, & phantasmaticos spiritus, & omnem nefarium Diabolum, atque omnes figuras, & minas Sathanz: concedatur etiam ei Potestas ad exterminandum fulgura, & grandines & omnes adversitates humanæ naturæ, ut nō possit immundus spiritus nocere iis locis, in quibus aspersa fuerit, sed confusus, & destructus abscedat: Per virtutē Domini nostri Jesu Christi Regis nostri. Qui cum Deo Patre vivit, & regnat, &c.

Adjuro te creatura salis, & aquæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Adjuro te in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradisi produxit. Adjuro te per eum, qui Apostolis suis præcepit dicēs: Ite Baptizate omnes gentes in nomine patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Per ipsius nomen te adjuro, ut ubicumq; aspersa fueris, omne phantasma de domo ipsa, & omnis incurso diaboli eradicetur, & effugiat; per Deum vivum, per Deum verum, per Deum totius creaturæ, ut neq; hominibus, neq; domiciliis, neq; navibus, neq; pecoribus, neq; frugibus, neq; arboribus noceat. Per Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. R. Amen.

Deus qui ad salutem humani generis maxima queq; Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviēs, ad abigēdos demones, morbosq; pellēdos, divinæ gratiæ sumat effectū, ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperferit, careat oī immundicia, liberetur à noxia: non illic resideat spiritus pestilens, nō aura corruptens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet aut qui-  
ti, aspersiōe hujus aquæ effugiat, & discedat, ut salubritas  
per invoc-

per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus sit defensa. Per eum qui venturus est iudicare vivos & mortuos, &c.

Benedictio Dei Pa<sup>t</sup>ris, & Fi<sup>l</sup>i, & Spiritus <sup>S</sup>ancti descendat super hanc creaturam salis, & aquę. Amen.

*¶ Hic Sacerdos aspergat aquam super se discens.*

### ANTIPHONA.

Asperge me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

### PSALMUS.

**M**iserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria patri & filio & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, in secula seculorum. Amen.

*¶ Deinde dicat.*

V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

### OREMUS.

**P**raesta quęsumus Domine famulis tuis per hanc aspersionem aquę benedictę, sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, charitatis fructum, hic & in æterna secula seculorum. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

### ORATIO.

**E**xaudi nos Domine Sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cælis, ut custodiat, foveat, protegat, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum, R. Amen.

Sequen.



## Sequentia Sancti Evangelii secundum

Lucam.

**F**Actum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu Baptizato, & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, Et vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, q̄ fuit Marathia, q̄ fuit Amos, q̄ fuit Naū, qui fuit Heli, qui fuit Naggæ, qui fuit Maath, qui fuit Mathathia, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joana, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Meri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Thosan, qui fuit Helmadan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorin, qui fuit Marath, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Maratha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obeth, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, qui fuit Elrom, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phalech, qui fuit Eber, qui fuit Sale, qui fuit Chaynam, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusalem, qui fuit Enoch, qui fuit Jareth, qui fuit Malalehel, qui fuit Chaynam, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Jesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Jordane.

*¶ Quo finito Sacerdos disat: Te Deum Laudamus, usque ad finem.*

## A P P L I C A B I L E. 22.

*¶ Balneum pro maleficiata persona abluenda, ejusq; benedictio ad maleficia exterminanda,*

*¶ Dæmones abdicandos.*

Recipe



Recipe } Cineris olivarum &  
 Aqua fluminis. Ana quantum sufficit ad lixi-  
 vium tenuis acritatis parandum.

¶ Quo Parato.

Recipe.	{	Rutæ.	} Ana Ma-	
		Sabinæ.		} nip. l.
		Hypericonis.		
		Palmæ Christi.		
		Arthemisiæ.		
Verbenæ.				
		Aristolochiæ rotundæ.		

¶ Et omnia lixivio prædicto fac ferverescere, & in vase ad ablutioem totius corporis humani aptum, infundere, inde refrigerescere permittantur usq<sup>3</sup> ad tepiditatem, & tunc præparatio talis, benedicatur benedictione sequenti.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domine.

R. Qui fecit cælum, & terram,

## EXORCISMUS.

Exo, 30.

**E**Xorcizo te unda condita Balnei, per Deum Patrem † per Deum Filium † per Deum Spiritum Sanctum † per Deum qui tibi simile lavacrum Moysi seruo suo fieri mandavit dicens. Facies labium æneum cum basi sua ad lavandum. Per Deum, qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Per Deum, qui nos per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune sit cum spiritibus immundis, sed sanctificeris, † ut sis Christi fidelium purgatio, & immundorum spirituum abdicatio, atq; maleficiorum, ab homine, sive à Diabolo tantum factorum, exterminatio, ita ut, quicumq; ex te corpus suum laverit, divinam in te virtutem sentiat affuisse. Per eum, qui ventur<sup>9</sup> est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

V. Do

V. Domine exaudi orationem meam.  
R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O .

**C**unctipotens æterne Deus ante cuius conspectum tremunt Angeli, & infernus ululat, qui Judith ancillæ tuæ quæ corpus suum laverat, & ornaverat, tuam gratiã donare dignatus es, ut Holofernicida fieret, & populum tuum ab obsidione liberaret, benedicere, † & sanctificare dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus suum laverit, valeat Holofernis infirmi virtutem interimere, ab ejus vexatione liberari, atque ab omni maleficiorum genere, misericorditer, te præstante salvari, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui aqua in pelvi missa, Discipulorum suorum pedes humiliter lavit, & tecum vivit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.  
Amen.

¶ *Aspergatur aqua Benedicta.*

FINIS PRIMÆ SECTIONIS.

DISPER-

# DISPERSIONIS DÆMONUM,

Quæ Secunda pars est Practicæ  
Exorcistarum.

*F. VALERII POLIDORI PA-  
tavini, ord. min. conventualium Arti-  
um, & Sacræ Theologiæ Doctoris.*

Probatissima Remedia, Obsessis per malefi-  
cium, continens applicanda.

Sectio Secunda.

APPLICABILE. I.

*¶ Olei benedictio ad cibos condiendum, ex Sa-  
cerdotali desumpta.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.  
R. Qui fecit cælum & terram.

EXORCISMUS.



Exorcizo te creatura Olei per Deum  
Patrem † omnipotentem, qui fecit cæ-  
lum, & terram, & omnia, quæ in eis  
sunt Omnis virtus adversarii, omnis  
exercitus diaboli, & omnis incurfus, o-  
mne phantasma Sathanæ eradicare, &  
effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo uti-  
si fuerint salus mentis, & corporis. In nomine Dei †  
patris omnipotentis, & Jesu † Christi filii ejus Domini  
nostri, & Spiritus † sancti paracliti. Et in charitate ejus-  
dem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judi-  
care vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

V. Domine



V. Domine exaudi orationem meam.  
 R. Et clamor meus ad te veniat.

## O R A T I O.

**D**omine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, & benedicere, & sanctificare hanc creaturam olei: quam ex olivarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti: præsta quæsumus, ut hi qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus, uti fuerint, ab omni languore omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, & cunctæ adversitates separentur à plasmate tuo, quod precioso sanguine filii tui redemisti, ut numquam lædatur à morte serpentis antiqui. Per eundem Dominum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. R. Amen.

*g Aspergatur aqua benedicta.*

## A P P L I C A B I L E. 2.

*g Panis ad comedendum benedictio, contra Diaboli nequitiam, & maleficiorum turbinem.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

## E X O R C I S M U S.

**E**Xorcizo te creatura panis, qui in usum humani generis, ex divina largitione, & humana dispositione, pro vita usque in finem servanda, parari consuevisti, per dominum Deum altissimum, in cujus honore Melchisedech Rex salem ejus Sacerdos te cum vino protulit, dum benediceret Abraham Deo excelso, qui creavit cælum, & terram: Quique filiis Israel quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Gen. 14.  
Exo. 16.

R.

*Ægypti,*

*Aegypti, in desertum Sin, murmurantibus contra Moy-  
sen & Aaron, pluit panes per circuitum castrorum, ut  
benedicaris † & sanctificeris, † & in testimonium divi-  
næ virtutis, quicumque ex te sumpserit, & comederit,  
careat omni iustestatione Diabolica, atque vexatione  
malefica, ut ita in anima sicut in corpore confortatus,  
omne nocivum ab eo expellatur: per eum qui venturus  
est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.  
Amen.*

V. Domine exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

### ORATIO.

*Matt. 6.*

*Luc. 11.*

*Ioan. 6.*

**P**ater noster, qui es in Cælis: & Domini nostri Jesu  
Christi, quem misisti in terris, ut mundum sua pac-  
sione, & morte redimeret, & bonis actibus infor-  
maret, in quorum numero voluit etiam orationis usum  
conferre, ideo orandi formulam dum traderet, inter  
cætera postulanda, panem nostrum quotidianum nobis  
dandum per singulos dies petendum censuit: Atque in  
eadem Panis specie cum duob, piscibus, copiose multi-  
tudini in monte copiosissimam mensam paravit, suppli-  
citer imploramus abundantiam pietatis tuæ super hunc  
panem, ut ipsum benedicere, † sanctificare, † digneris  
ad omne genus Dæmoniacum, cum maleficiis quibus-  
cunque de eo pellendum, qui ex eo sumpserit & gusta-  
verit, pro gloria nominis Sancti tui, qui cum unigenito  
Filio tuo, & spiritu Sancto unus es Deus, unus es Domi-  
nus, & vivis, & regnas in secula seculorum. Amen.

*g Aspergatur aqua benedicta.*

### APPLICABILE. 3.

*g Carnis hædi benedictio pro obsessi nu-  
trimento, atq, Maleficii, & Dæmonis detri-  
mento.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domine.

R. Qui fecit cælum, & terram,

EXOR.

## E X O R C I S M U S.

**E**Xorcizo te nutrimenti præparatio præsens per Dominum Deum omnipotentem trinum, & unum, *Lev. 2.* qui carnis hostiæ gratiarum eadem immolationis die comedi mādavit, & in sanctificatione primitiæ messis Agnum anniculum cædi in holocaustum jussit, ut sis omnibus sumentibus te, sanitas mentis, & corporis: & invisibilium, atque visibilium hostium propulsatio, ac maleficiorum omnium extirpatio, sis tutela salutis: sis clypeus fortis, sis murus inexpugnabilis ad omnem virtutem virtuti divinæ rebellem, divinitus repellendam. Per eundem Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

## O R A T I O.

**O**Mnipotens æterne Deus, qui per Moysen servū *Exo. 12.* tuum filius Israel, carnes aſas igni hædi absq; macula, masculi anniculi, comedi mandasti, benedicere † & sanctificare † digneris hanc nutrimenti præparationem, & propitius concede, ut dum superbit impius tuæ divinæ majestatis adversarius, & de inhabitatione in humanis corporibus gloriatur, à suo desiderio fraudetur, & comprehendatur in consiliis, quibus cogitat diu nocere, vel personali sua inhabitatione, vel malefica infestatione, illis suo impetu perturbatis, qui carnes præfentes sumpturi sunt. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui carnem suam verè cibum, & sanguinem potum esse nos docuit, & vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

## A P P L I C A B I L E. 4.

*¶ Vini benedictio pro maleficiatis nutriendis, & maleficiis Diabolicisq; quibuscumq; infestationibus destruendis.*

R 2

V. Adju-



V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram:

## EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te creatura vini per Deum æternum, qui per Moysen servum suum die consecrationis manipuli spicarum primitiæ messis filii Israel mandari præcepit, ut liba quoque vini quartæ partis Hin offerretur in sacrificium, ut efficiaris sicut corporum nutrimentum, ita maleficiorum quorumcumque detrimentum: & quicumque ex te sumserit, & gustaverit, corde lætificetur in Domino, & firmetur in bono: ad Diabolum confundendum, & maleficium comminendum, atque in perpetuum dissipandum, & per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## ORATIO.

**D**omine Deus omnipotens, refugium nostrum, cuius filius incarnatus, se vitem veram affirmavit, & talis affirmationis mysterium sua omnipotentia virtute in Chana Galilee, invitatus ad nuptias, cum ex aqua sex lapideas Hydrias, capiètes singulas metretas binas, vel ternas, implente vinum fecisset, declaravit: te suppliciter exoramus, ut benedicere † & sanctificare digneris præsens vinum ad evertendum fortitudinem, & adjutorium Diaboli, etiam maleficio contra humanas creaturas tuas, ut incantationes destruantur, & sedes nequissimi in terra collidantur: Per eundem filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate spiritus Sancti, Deus per omnia secula seculorum, Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICABILE. 5.

¶ *Aqua benedictio, pro obsessis potanda, quando ex*

do ex decreto medicorum, vinum ipsis interdicitur, contra maleficia, Diabolumq<sup>3</sup>.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

## EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te creatura aquæ in sede elementalium simplicium corporum, à summo rerum omnium *Gen. 1.* Opificæ constitutæ, per eundem creatorem tuum, cujus spiritus in creatione cæli, & terræ ferebatur super aquas, postea firmamento divisas, ut divinæ efficiaris virtutis instrumentum ad minorandum dies temporis durationis maleficiorum omnium, pænitusq<sup>3</sup> destruendum, & ad nocentem Diabolum confusione perfundendum in illis qui te sunt poculo recreandi, ita ut sic illis divinæ assistentiæ gratia mentis & corporis concedat levamen, sicut perfunderis in ventre ad obsessorum solamen. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

## ORATIO.

**D**omine Deus salutis nostræ, quem laudant aquæ *Num. 20.* Omnes, quæ super cælos sunt, & in cujus virtute Moyses servus tuus filiis Israel, cum percussisset virga bis silicem, aquas largissimas ita ut biberet populus, & jumenta, egredi fecit: suppliciter imploramus abundantiam pietatis tuæ, ut benedicere† & sanctificare† digneris hanc creaturam tuam aquæ, ut quicumq<sup>3</sup> ea sitis ardorem extinxerit, & usus in cibus fuerit, ubertatem clementiæ tuæ gaudeat affuisse, quatenus omnes insidiæ inimicorum humani generis procul pellantur, & si quis Diabolicæ versutiæ est, aut maleficii præsentia virtute tuæ omnipotentia pænitus dispergatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

R 3

g Asper-

*¶ Aspergatur aqua benedicta.*

*APPLICABILE. 6.*

*¶ Aqua vulgata benedictio ad expellendas facturas, & fuganda maleficia de obsessis corporibus humanis.*

**E**xorcizo te aqua † per illum qui te creavit, & qui in te baptizati voluit, qui in quatuor flumina de Paradiso exire iussit, & totam terram irrigare præcepit. Exorcizo te † per illum, qui Naaman Syrum à lepra mundavit. Exorcizo te † aqua per eum, qui te per suam potestatem in Chana Galileæ convertit in vinum. Exorcizo te † per incarnationem filii Dei vivi, per natiuitatē & circumcisionem, per baptismum, & sanctum jejunium ejus, per passionē, mortē, & sepulturā ejus, per resurrectionem, & ascensionem ejus: per aduentū, & gratiam Spiritus sancti Paraclitis & per Beatā Virginē Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi, & per lac ejusdem Virginis Mariæ, & per omnes Angelos, Archangelos, Thronos, Dominaciones, Principatus, & Potestates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, per omnia Sacramenta Ecclesiæ, per Sanctum Joannem Baptistam, per omnes Sanctos Patriarchas, & Prophetas, Apostolos, Martyres, Innocentes, Confessores, Virgines, Viduas, & continentēs Dei, & per virtutē omnium Sanctorum, & Sanctarum ejus, & in virtute Jesu Christi destruas omne opus nefarium Diaboli, & ministrorū ejus omnesq; incantationes, ligaturas, fascinationes, signaturas, facturas arte diabolica factas, seu inventas contra famulum Dei. N. ita ut ad nihilum redigatur, & sicut divina potentia exspoliavit infernum, ita exspoliare valeas illum ab omnibus facturis: & per te extinguantur omnes ardores, calores & frigiditates, cæteræq; pestilentiæ factæ, sive fiendæ contra famulum Dei N. in omnibus facturis. Per eum qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

**EXOR.**



## EXORCISMUS.

**I**Terum Exorcizo te aqua per Deum, † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Dominū nostrum Jesum Christum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: ut oēs virtutes adversarii, omnis exercitus Diaboli: omnis incurfus, & omne phantasma inimici eradicet & effugiat à te, ut sis sancta, salutifera, & ignis ardēs adversus oīs insidias inimici, ut quicūq; te biberint, seu gustaverint. sis eis sanitas, & medicina animæ, & corporis, & in virtute Sanctæ Trinitatis effugiat omnis infirmitas, & omne opus nefarium Diaboli, poratione tui, separetur, effugiat, & elongetur. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Initium Sancti Evangelii. secundum Joannem,

In Principio erat verbum, &c.

*¶ Et dicatur usq; ad illud.*

Plenum gratiæ, & veritatis.

## O R A T I O.

**B**enedicat te † aqua Deus Pater omnipotens, qui te suo verbo creavit, & det tibi ad omne malum, & maleficium virtutem, ut quicūq; te sumpserit, & gustaverit, liberetur ab omnibus maleficiis, incarnationibus, ligaturis, signaturis, & facturis arte diabolica factis, & ab omni spiritu imūdo: & per omnia sancta nomina tua Domine Jesu Christe, sana cor, & omnia mēbra hujus famuli tui N. & ipsum libera ab omnib. malis animæ & corporis. Qui cum Patre, & spiritu Sancto vis, & regnas in secula seculorum. Amen.

*¶ Hic exusta ter in aquam dicendo.*

Exufflo te omnis legio Sathanæ, in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti. Amen.

## EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te creatura aquæ in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti, ne sis comūnis ulli Spiritui

immundo, ad honorem Sanctissimæ atq; Individuæ Trinitatis viventis, ut quicumque te devotè biberint, & gustaverint, omnis spiritus immundus cum omnibus facturis suis ab eis recedant. Itaque exorcizo te creaturæ aquæ in nomine Jesu Christi Nazareni Filii Dei vivi, Regis, & judicis nostri, ut sis purgatio omnium maleficiorum, incantationum factarum huic creaturæ Dei N. quam ipse ad imaginem, & similitudinem suam creavit, & ad baptismum, & gratiam suam vocare dignatus est. Te ergo invoco Domine Sancte, Pater omnipotens, Æternæ Deus, ut hanc aquam exorci<sup>†</sup>zare, & bene<sup>†</sup>dicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus spiritus locum in ea amplius non habeat, sed virtute Spiritus Sancti, omnes qui biberint ex ea, recipiant sanitatem corporis, & animæ, & ab omnibus spiritibus immundis, ac operib, eorum sanentur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

## ORATIO.

**D**ignare Domine Jesu Christe exorci<sup>†</sup>zare, bene<sup>†</sup>dicere, & sancti<sup>†</sup>ficare aquam istam ad liberandum, & sanandum famulum tuum N. ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis, signaturis, & facturis sibi arte diabolica factis, ut ad nihilum redigantur. Et sicut tua potentia infernum spoliasti: ita eadem expoliare digneris ipsum famulum tuum. N. ab omni machinamento diabolica arte facto, qui redemisti nos in manu forti, & brachio extento. Da Domine Jesu Christe, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per te Jesu Christe Salvator mundi. Amen.

## ORATIO.

**T**E igitur Domine Jesu Christe, qui es fons, & aqua salientium in vitam æternam, suppliciter exoramus, ut hanc aquam bene<sup>†</sup>dicere, & exorci<sup>†</sup>zare pro tua pietate digneris, in salutem adjutorium, & liberationem famuli tui N. & ipsum tuere ab omnibus maleficiis, incantationibus, & illusionibus dæmonum, & mini-

& ministrorum ejus, & ab ipsis potenter illum defendere per virtutem tuam : de cujus latere fluxere sanguis, & aqua, in remedium, & remissionem peccatorum nostrorum, ita nos Domine famuli tui clementiam tuam, & nomen sanctum tuum imploramus, ut quicumque ex hac aqua biberint, & devotè gustaverint, abluantur ab omnibus fordibus dæmonum, & reddantur suæ incolumitati, nec in eis in posterum nocendi habeat potentiam adversa dæmonum, & Maleficiorum potestas. Qui Sanctus, & pius es, permanens in secula seculorum. Amen.

### APPLICABILE. 7.

*¶ Potio ad omne maleficium indifferenter solvendum, & Diabolum conterendum, ejusque benedictio.*

℞. *¶* Seminum herbæ paris. dr. dimidium.  
Decoctionis boraginis. quantum suffi.

*¶ Misce, & fiat potio mane capienda, iteratis vicibus, secundum ordinem.*

### BENEDICTIO POTIONIS.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit Cælum, & terram.

### EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te salutiferæ potionis comixtio præparata, per Dominum Deum, quem timentes bona faciunt sicut, qui continens est justitiæ ejus, apprehendet illam & obviabit ei quasi mater honorificata & quasi mulier à virginitate suscipiet illam. Cibabit illum panis vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum ut ad effugandum de eo valeas, cum omni maleficio, diabolum, qui Sacratissimo fuerit sanguinis

R 5

domini



domini nostri Jesu Christi merito, redemptus, & sacro ejus baptisate in interiori homine renovatus: aliisq; sibi debitis sacramentis initiatus. Per eundem dominum nostrum Jesum Christum; qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem, Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

### ORATIO.

**D**omine dominus noster, qui per unigenitum filium tuum unicum dominum nostrum generationem Judæorum pueris in foro sedentibus similem æstimasti; sicut enim pueri coæqualibus pueris dicere consueverunt; cecinimus vobis, & non saltastis, lamentavimus vobis, & non planxistis; Ita cum venisset Joannes, non manducans neque bibens, Judæi dixerunt ipsi, Dæmonium habes; & cum filius hominis venisset manducans, & bibens; de ipso dixerunt; Ecce homo vorax, & potator vini: suppliciter per patientiam ejus tuam deprecamur clementiam, ut bene ꝑ dicere, & sanctificare digneris potionem commixtionis præsentis, ut quicumque ex ea biberit, omni careat infestatione diabolicæ nequitiz, & ab omni maleficio, cujuscumque generis, quocumq; parato, sive clausulis firmato, liber existat. Per eundem dominum nostrum Jesum filium tuum, qui potionem calicis sanguinis sui dedit discipulis suis, ut ex eo biberent omnes. Et tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti, in secula seculorum. Amen.

*Mat. 11.*

*Mat. 14.*

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

#### APPLICABILE. 8.

¶ *Ordo medicaminis secundum infra scriptum modum contra effectum phrenesis per maleficium, & opus diabolicum inductæ.*

¶ *In prima die inchoationis medicaminis pro Clistere.*

Recipe

Rec. { Aquæ fluminis.  
Furfuris tritici.  
Olei communis.  
Salis communis } Ana quantum  
sufficit.

¶ *Secunda die pro Clistere parando.*

Rec. { Aquæ fluminis.  
Maiuz.  
Marcorellæ.  
Parietariæ.  
Matrum violarum.  
Olei communis.  
Salis. } Ana quan-  
tum suffi-  
cit.

¶ *Tertia die pro Clistere parando.*

Rec. { Aquæ fluminis  
Olei communis.  
Salis.  
Sapæ.  
vellis. } Ana quan-  
tum suffi-  
cit.

¶ *Quarta die pro Clistere parando.*

℞. { Pulpæ Cassiæ. Unc. j.  
Mithridatis. Dra. j

Rec. { Decoct. ebulorum.  
Buglossæ.  
Indiviæ.  
Sapæ.  
Salis.  
Olei communis.  
Aquæ fluminis.  
Mellis. } Ana quan-  
tum sufficit  
cum duobus  
prædictis.

¶ *Quinta die pro pharmaco parando.*

℞. { Succipolipodii quærcini recentis. parum.  
Mellis rosati. Unc. ij.  
Ellectuarii de succo rosarum. Drac. ij.  
Diaphiniconis. Drac. j.

¶ *Hæc omnia misceantur, & tepenti a patienti propinentur, quando pro noctis dormitione stratum petit.*

¶ *Sexta*

¶ Sexta die pro unguento parando.

℞. { Succi radicum ebulorum. } Ana.  
 { Buryris. } lib i. s.

¶ Et hæc duo igne ferevant, usq<sup>3</sup> ad consumptionem ferè succi.

¶ Quibus indispositis.

℞. { Olei camamilla. } ana. Unc. j.  
 { Olei rosati. }  
 { Olei Hypericonis. }

¶ Et hæc prædictis addantur: atq<sup>3</sup> ad ignem secundum artem: ad formam unguenti redigantur: quo vexata persona, eo tepente, à collo exclusivè usq<sup>3</sup> ad pedes per mensem, semel in die, inungatur.

¶ Tertia verò die unctionis, pro capitis patientis alleviatione, Canterium loco debito imprimatur.

¶ Omnia autem prædicta à prima die inclusivè, usq<sup>3</sup> ad hanc ultimam, debitis vasculis parata, benedicantur benedictione sequenti.

### BENEDICTIO PRÆDICTORUM.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit cælum & terram.

### EXORCISMUS.

Tob. 6.

**E**Xorcizo te medicæ compositionis multiformis materia præparata per dominum Deum creatorem virtutis tuæ: qui per Sanctum Angelum suum Tobix servo suo piscem exenterari præcepit, & cor ejus, & fel, & jecur recondi cum essent necessaria, & ad medicamenta utiliter: ut virtutem tuam naturalem retineas, & supernaturalem recipias, ad omnem virtutem Diabolicæ fraudis, & impetus humanæ rationis usum impediens, coercendos, non nostris poscentib. meritis sed ejus-



sed ejusdem Dei virtute occurrentè & passione Filii eius intercedete, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

## O R A T I O.

**D**Eus, à quo de cælo est omnis expectanda medela, sicut de terra est omnis creatio medicinæ, qui in plenitudine temporum, magnum de cælo misisti medicum, quia magnum in terra infirmum jacere non veras: multiplica super nos misericordiam tuam, & benedicere, † & sanctificare digneris hoc multiplex genus medicinæ compositum, ut quicumque eo usus fuerit, liberetur à vexatione diaboli, ex maleficio præcipuè illata: & ita illius nexus efficaciter dissolvatur, ut eidem usus redeat rationis, unde affuisse dominum nostrum Jesum Christum agnoscentes, gaudeamus: *Qui tecum vivit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

g *Aspergatur aqua benedicta.*

## A P P L I C A B I L E. 9.

g *Vinum conditum vulgatum pro medicamento potandum, ad dissolvendum maleficium, & cujus effectus sunt circa Ventriculum, & cor, cum sua benedictione.*

℞.	{	Vini albi.	Lib. j.
		Thuris	Drag. v.
		Elleboris albi,	} Ana, Drag. i. s.
		Perforati.	
		Saccari rosati.	

g *Et omnia prædicta ad ignem usq; ad medicatis consumptionem bulliant, deinde tribus diebus interpolatis propinetur patienti, si opus erit, judicio desumpto ex vomitionis quantitate.*

BENE-

DISPERSIO  
BENEDICTIO VINI PRÆ-  
DICTI.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O R A T I O.

**D**omine Deus, pater omnipotens, qui scis omnia antequam fiant, bona, sive mala, & omnes cogitationes hominū tibi manifestæ sunt: tuā exorō piissimam clementiam, ut ab universis peccatis suis, & malis, ac malignis spiritibus his, famulus tuus. N. mereatur liberari: sed ut clementissime, piissime, atque amantissime Deus oculos cordis ej<sup>9</sup> illuminare digneris. Tu domine meditationem cordis ejus tibi fac placitā, amor tuus ejus desiderium inflammet; Exaudi piē domine preces servorum tuorum clementissime Deus per invocationem Sancti nominis tui, & per invocationē omnium Sanctorum tuorum, & per oīa sancta tua nomina bene † dic, & sanctifica in virtute tua vinum istud, ut omnes ex ea gustantes recipiant sanitatē mentis, & corporis. Domine Deus, Pater omnipotens, ne derelinquas servum tuum. N. nec projicias eum in tempore necessitatis, cum defecerit virtus ejus. Domine si forte peccavit contra voluntatem, & mandata tua & præcepta tua non custodivit, tamen non negavit esse verum Deum solum: peccavit. N. coram te, & Angelis tuis, contra omnes justificationes tuas Igitur per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ matris filii tui domini nostri Jesu Christi, ei parcere digneris: quia tu scis, quæ rei sunt necessaria animæ, & corpori. Tu Domine dixisti: Nolo mortē peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, & sicut Chananeam, & Publicanum vocasti ad pænitentiam: ita famulum tuum. N. ad pænitentiam vocare digneris, & sicut B. Mariæ Magdalenæ à te dimissa fuerunt

fuerunt peccata multa propter p̄nitentiam, & contritionē ejus: ita piissime domine famulo tuo .N. per potentiam divinitatis tuæ, ei parcere digneris. Dñe Deus, Pater omnipotens adesto supplicationib. nostris, & sicut convertisti aquam in vinū in Chana Galileæ: ita beneddicere, sanctificare, & exorcizare pro tua pietate digneris vinū istud, ut remediū efficax contra oēm potestatem omnium inimicorū nostrorum: ac etiā contra omnes facturas, quæ factæ fuerunt, vel fient: & nullus spiritus malus cujuscumq; generis, aut conditionis existat possit larere, vel diu permanere in quacumq; creatura, quæ gustaverit, & devotè sumpserit ex hoc vino benedicto. Rogamus ergo te domine, ut benedicendo benedicas, & sanctificando sanctifices hoc vinum in honore omniū sanctorū & sanctarū, totiusq; cælestis curiæ, ut totaliter destruat omnē potestatem inimici, & ipsum inimicum tuum per potentiam tuam extinguere, & fugare valeat: ac etiam contra omne impedimentum Sathanz ipsum vinū sit remediū, ut quicumq; ex eo biberit, liberetur ab infirmitate sua. & tecū salvetur: quia tu dñe dixisti, omnis quicumq; invocaverit me, exaudiam eum. Rogo ergo te domine Jesu Christe per immensam clementiam tuam, & per illud Sanctum dictū tuum, ut salves illū ne pereat: salva illū dñe ad honorem tuum, & nomine tuo. o Trinitas Beata, fiat ista benedictio & sup vinum istud descendas, & sit purgatio omnium maleficiorū: quæ in corpore, vel extra corpus istud sunt facta: & destruantur per virtutem tuam, & per virtutem istius vini, quod est benedictum, & sanctificatum in tuo nomine Trinitas sancta, & Individua: audi, & exaudi preces servorum tuorum. Et benedictum sit nomen tuum in æternum, & in secula seculorum.

## O R A T I O .

**D**omine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per filium tuū Unigenitū Jesum Christū dñm nostrū, redimere dignatus es Mundū: & ipse benedictus



dictus filius tuus, ut memoriam sui relinqueret nobis, corpus suum in specie panis, & sanguinē suum sub specie vini relinquere dignatus est. Quæsumus clementiam tuam, ut nobis ministris tuis benedicentibus vinum hoc in nomine tuo, & in nomine ejusdem dilecti filii tui, & spiritus sancti, & ipsum sit remedium efficax ad salutem famuli tui. N. & præsta domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per intercessionē omnium Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Sanctarum Virginum, atq; continentium, & totius cælestis curiæ: Ut quicumq; ex eo biberint, & devote gustaverint, nullus malignus spiritus, nulla maleficia facta, vel hæc da possint latitare vel stare in aliqua parte corporis sui; sed mox ad laudem, & gloriam nominis tui, & ad honorem omnium sanctorum tuorum, si sunt in corpore, statim se manifestent, & exeant per virtutē tuam; & si sunt extra, confringantur tãq; si non essent. Da domine virtutem nomini tuo, quod invocamus super hoc vinum per virtutem domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

## ORATIO.

**D**ignare Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus benedicere † exorcizare, † & sanctificare † vinum hoc per tuam clementissimā bonitatem, ut oīs qui in nomine tuo, & dilecti filii tui, & spiritus sancti ex eo biberit, & gustaverit, mundetur ab omni maleficio Diabolico & ab eo recedat oīs diabolica legio, oīs spiritus immundus & oīs virtus Diaboli exterminetur, & potestas tua domine in virtute verborum tuorum prævaleat, & in memoria admirabilis, & altissimi sacrificii illius, qui se voluntariē obtulit Deo Patri Omnipotenti, bene † dicere, & sancti † ficare vinum istud per memoriam sacrificii Patriarchæ nostri Abrahamæ, & quod obtulit summus Sacerdos tuus Jesus Christus dominus noster. Qui tecum, & eodem Spiritu sancto vivit. & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

ORA-

## O R A T I O.

**D**omine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, adesto precibus nostris, & piis famulorum tuorū laboribus nobisq; misericordiam tuam poscentibus. Descendat quæsumus domine Spiritus sanctus tuus in hoc vinum, quod sub invocatione Sancti nominis tui, & in honore Sanctæ Crucis, in qua cœternus tibi filius tuus dominus noster Jesus Christus pro redemptione mundi pati dignatus est; & in honore omnium sanctorum tuorum bene † dicimus & exorcizamus, ut oēs creaturæ, quæ vexatæ fuerint à spiritibus immundis, sive maleficiatæ quocunq; modo operibus Sathanæ, & ministrorum ejus, ex hoc vino biberint, sanentur, & salventur atq; discedant ab eis omnia maleficia, incantationes, ligaturæ facturæ, & omne opus nefarium Diaboli, & ceteræ tuæ potentia confringantur. Nullusq; spiritus immundus, nulla phantasmata, nulla ars inimici possit contra famulos tuos habere virtutem: & non possit latere in illis, à quibus hoc vinum degustatū fuerit, sed confestim discedant à plasmate tuo, nunquā reversuri. O beata, & sancta manus Dei, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas. O beata, sancta, & benedicta Trinitas, quæ omnia purificas, oīa mundas, omnia præornas; ò beata majestas, quæ cuncta contines, cuncta replet, cunctaq; disponis. O sancte sanctorum Deus tuam clementiā humillima devotione, deposcimus, ut hoc vinum per nostrę humiliatis famularum in honore victoriosissimi nominis tui puri † ficare, bene † dicere, exorcizare, & sancti † ficare digneris. Per hoc ergo vinum quæsumus Idñe gratia Spiritus sancti exorcizatum ægroti sanentur; Infirmi curentur, demones ejiciantur: cunctorūq; maleficio proprietate expellantur: & oēs demoniaci, & maleficiati, qui ex hoc vino biberint, & devotè gustaverint, sanitate mētis, & corporis concessa, misericordiam q̄ precantur, perpetuò miserationis tuæ munere gloriētur. Per dñm nostrū Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

S

¶ Asper-



*¶ Aspergatur aqua benedicta in modum crucis.*

*APPLICABILE. 10.*

*¶ Oleum potabile cum jure ad expellendas omnes facturas, quarum nocivi effectus fiunt circa ventrem: ejusq; benedictio vulgata.*

*¶ Aspergatur aqua benedicta.*

In nomine Pa<sup>†</sup>tris & fi<sup>†</sup>lii, & Spiritu<sup>†</sup> Sancti. Amen.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

V. Ostende nobis domine misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

V. Adjuva nos Deus salutaris noster.

R. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

V. Nihil proficiat inimicus nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

V. Fiat misericordia tua domine super nos.

R. Quemadmodum speravimus.

*EXORCISMUS.*

**E**Xorcizo te immundissime spiritus, omnis incurfus Sathanæ, & phantasma, in nomine Dei Pa<sup>†</sup>tris, in nomine Dei fi<sup>†</sup>lii, in nomine Dei Spiritu<sup>†</sup> Sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici potatio spiritua<sup>†</sup>lis ad sanandum infirmos: ut in eis possit habitare Spiritus sanctus per nomen Dei patris, per nomen Dñi nostri Jesu Christi dilectissimi filii ejus. Qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

*ORATIO.*

**E**Mitte domine septiformem Spiritum sanctum de cælis in hanc pinguedinem olivæ, quam de virido ligno producere dignatus es ad refectionem mentis, & corporis, ut tua benedictione sit semper tangenti tutamen tum mentis, & corporis, ad evacuandos oēs humores melancolicos, oēs dolores, omnes infirmitates: omnesq; ægrotudines mētis, & corporis, unde unxisti Reges, Prophete.



Prophetas & Martyres unctione sancta tua perfecta. Domine abs te ostendenobis, ut benedictum permaneat in visceribus famulorum tuorum: in nomine domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Adjuro te, ò Sathana, & omnes malignos spiritus per nomen Dei vivi, & veri, & sancti, per nomē, & merita Virginis Mariæ, & per potestatem omnium spirituum celestium; & novem ordines celestes, in maledictionem, & confusionem, & augmentum poenarum tuarum in centuplum, de die in diem, usq; ad ultimum tremendum diem finalis judicii augmentandā, si nunc non recedas maledicte Sathana ab hoc famulo Dei. N. per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Iterum conjuro te ò Sathana, quod non requiescas, neq; cesses à labore continuo de loco, in quo es, poenitus remove ab officio, & societate dānata cujuscunq; Principatus, & tuam, & omē malignā fascinationem ab hac creatura Dei. N. facturas, infirmitates, & dolores animæ, & corporis, per verba conjurationis prædictæ, maledicte Sathana sit nomen, & opus tuum confusum, & maledictum in æternum, & ultra à Deo omnipotente, & à me per potestatem mihi traditam super te non solum in baptisate, & aliis sacramentis; sed etiā per administrationē veri corporis, & sanguinis domini nostri Jesu Christi, mihi per auctoritatē beatorū Apostolorū Petri, & Pauli concessam: Et si fueritis rebelles, & contumaces, & mihi inobedientes, conjuro contra te, & contra vos oēs spiritus infernales, q̄ vos nefarios spiritus eū festinatione, quatenus per virtutem illius nominis quod Moyssi nominavit, & tunc absorpti fuerunt, à cavernis Abyssi Dathā, & Abyrō; & in virtute illius nominis usq; in profundū abyssi, usq; ad ultimum diē vos religer.

*Sequentia Sancti Evangelii secundum*

*Marcum.*

**I**n illo tempore. Recumbentib; undecim Discipulis apparuit illis Jesus, & exprobravit incredulitatē eorū,

& duriciam cordis; quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis. Euntes in Mundū universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient; Linguis loquentur novis. Serpentes tollent. Et si mortiferū quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus quidem Jesus, postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

ꝙ. Laus tibi Christe.

### ADJURATIO.

**A** Djuo etiam vos † omnes immundos Spiritus, per eum, qui erat, qui est, & qui venturus est, qui creavit, & redemit nos suo sanguine: p̄r crucem, mortem, sepulturam & resurrectionem suam: qui hic præsens, & ubiq; est; qui dixit: Ubi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi in medio eorum ego sum; & per nomen ejusdē domini nostri Jesu Christi, ut hinc statim recedatis cum maleficiis, & facturis vestris, nunquam redituri. In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus sancti. Amen.

V. Adjutorium nostrum in nomine domini,

R. Qui fecit cælum, & terram.

V. Exurge Christe adjuva nos,

R. Et libera nos propter nomen tuum.

### ORATIO.

**O** Potestas immensa, ò Trinitas Individua, æterne Spiritus sancte, te omnes Christicolæ exoramus, ut potentiam, & misericordiam tuam super hanc creaturam tuam. N. porrigas, & ab omni Spiritu imundo tua pietate liberare digneris. Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Benedicat te creatura olei † imperialis Majestas; protegat



regat te † regalis divinitas : defendat te † immensa Tri-  
 nitas : foveat te † gloriosa unitas : dirigat te † inestimabi-  
 lis bonitas : regat te † potētia Dei patris : vivificet te †  
 sapientia Dei Filii : deducat te † Virtus Spiritus sancti  
 Alpha, & Omega. Deus Sabaoth sicista invocatio, ut  
 det tibi ad omne malum, virtutē † Crux † Christi salvet  
 te. Duodecim Apostoli te † custodiant : Sancti Martyres  
 te † adjuvent, Sancti Confessores te † benedicant, om-  
 nes Sancti Sacerdotes novi, & veteris testamenti te e-  
 xorcizent, & sanctificent ; Sancti Angeli, Archange-  
 li, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates,  
 Virtutes, Cælorum, Cherubim, & Seraphim te † defen-  
 dant ; Virtuofus Deus Trinus & unus te † benedicat, &  
 der tibi, ad omne malum, & ad omnes facturas, & ma-  
 leficia virtutem, ut per te possim destruere, eradicare,  
 & evellere de animabus, & corporibus humanis omnia  
 maleficia, omnes incantationes, ligationes, facturas, &  
 omne opus nefarium Diaboli, Per Christum dominum  
 nostrum, Amen.

*¶ Hic sequitur benedictio olei.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt.

## E X O R C I S M U S.

**E**Xorcizo te creatura olei per Deum † vivum, per  
 Deum † verum, per Deum † Sanctum : ut omnis  
 virtus adversarii, omnis exercitus Diaboli, omnisq;  
 incurfio, & omne phantasma Sathanæ eradicetur à te,  
 ut fias omnibus, qui te fumpferint, medicina ad expel-  
 lendas omnes facturas, & fuganda omnia maleficia Sa-  
 tanæ & ministrorum ejus, & ipsum inimicum expel-  
 lere cum omnibus maleficiis, incantationibus, ligatio-  
 nibus, signaturis, & facturis valeas. In nomine Pa-  
 tris omnipotentis, in charitate Jesu † Christi domini nostri  
 filii ejus; qui vivit, & regnat cum Sancto spiritu Deus  
 per omnia secula seculorum. Amen.

V. Dominus Vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.



DISPERSIO  
ORATIO.

**C**reaturarū Deus omnium, & domine creator. qui per Moysen famulum tuum, permixtis herbis aromatum fieri præcepisti sanctificationē unguēti: clementiam tuam suppliciter deprecamur; ut huic oleo quod oliva, te iubente produxit, spiritualementem gratiam largiendo, plenitudine sanctificationis infundas: sit domine fuga Dæmonum, ac omnium maleficiorum, incantationum, ligationum, facturarum, ac omnium operū Satanz exterminatio; & præsta nobis domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus; ut quicumque ex hoc oleo biberint, & devotè unxerint, sit eis perfecta medicina contra omnes diabolicas machinationes, facturas, ligationes, ac malignos spiritus. Per dominum nostrum Jesum Christum qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

EXORCISMUS.

**E**xorcizo te creatura olei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut per hanc invocationē individue Trinitatis, ac unius virtute Deitatis, omni iniquissima virtus adversarii: omnis inveterata malicia Diaboli: omnis violentia incursio; omne confusum, & cæcum phantasma eradicetur, fugetur, & discedat ab hoc oleo: ut omnes qui ex eo biberint, & devotè unxerint fiat sanitas super eos ab omni maleficio diabolico, ut non possit latere ulla malignorum spirituum nequitia. Per eundem dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

ORATIO.

**D**eus omnipotens sanctificationum dominator, cujus pietas sine fine sentitur. Deus qui cælestia simul, & terrena moderaris, & complecteris; servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, Exaudi pie domine preces servorum tuorum; & copiosa tua benedictio descendat in hoc

hoc oleum in honore nominis tui, & victoriosæ Crucis t̄  
 tuæ, & in honore sanctorum omnium, & sanctorum to-  
 tius cælestis curiæ, Tu ò clementissime pater sancti t̄ n̄-  
 ca, & miserator illustra proprio splendore clarifica, ut  
 omnis, qui devote biberit, & unxerit, ab omnibus spi-  
 ritibus imundis, ac operibus eorū sanetur, & salvetur  
 propter nomen tuum magnum, & manum tuā fortem,  
 & brachium tuum excelsum. Et tu Deus altissime libe-  
 ter protege, & dignanter libera eos ab omnibus spiritib-  
 imundis, maleficiis, incantationibus, signaturis, factu-  
 ris, & ab omni opere Sathanae liberare digneris propter  
 nomen tuum magnum & admirabile: & liberatos æter-  
 na redemptione conserva, ut semper sælices, semperq;  
 in tua gratia lætantes, constanter in istam confessionē  
 Trinitatis in fide catholica perseverent. Per dominum  
 nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit,  
 & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia se-  
 cula seculorum, Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICABILE. II.

¶ *Remedium leniter vomitionem inducens  
 pro materialibus instrumentis maleficialibus e-  
 mittendis: ejusq; benedictio.*

℞.	{	Juris	Lib. i.
		Oximelis simpl.	Unc. iij.
		Aceti, partim.	

¶ *Misce, & fiat potio secundum artem.*

BENEDICTIO PRÆDICTI

Vomitorii.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te commixtio præsens naturali virtute  
 tua vomitionē inducens. Per Deum Omnipotentē  
 creatorē virtuis tuæ: qui pisci grandi trib. diebus, &  
 tribus noctibus Jonam Prophetam in ventre continenti,  
 dum ipse clamaret ad Dominum, mandavit, ut eundem

evomeret super terram ad prædicandum Ninivitis populis, ut ab eodem conditore tuo desuper venientem virtutem recipias ut quicumq; sumptione tui vomitionem procuraverit, & adeptus fuerit materialia quoque cumque; maleficii instrumenta, emittere valeat ad mirabilem virtutē Dei declarandam, & Domini nostri Jesu Christi laudem debitam nunciandam. Per eundem dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

### ORATIO.

**D**omine Deus omnipotens, qui Joanni servo tuo Angelo Laodiceæ Ecclesiæ hæc verba scribere præcepisti; Hæc dicit Amen, testis fidelis, & verus qui est in principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; calidus; Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo: adesto piis supplicationibus nostris, & benedicere & sanctificare & dignetur commixtionem præsentem ad vomitionem ciendā paratam, talemq; in eam virtutem infundere, ut quicumq; eandem susceperit, ab omni maleficio liber, & à maleficialibus instrumentis materialibus vacuus existat; ita ut ab omni infestatione pœnitus liberetur, & in te domino Deo suo semper lætetur. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti De<sup>o</sup>, per omnia secula seculorum. Amen.

¶ *Aspergatur aqua benedicta.*

APPLICABILE. 12.

¶ *Remedium vehementer effectivum vomitionis pro materialibus instrumentis maleficialibus emittendis.*

Succi



℞. { Succi Raphani.           Unc iij.  
 { Olei communis.       Unc. j.

℞. *Misce, & fiat potio secundum artem.*

℞. *Benedictio autem hujus Vomitorii sit illa eadem, quæ Vomitorio immediatè supra posito, fuit.*

### APPLICABILE. 13.

℞. *Modus vulgatus destruendi materialia instrumenta malefici è corpore obsessi per vomitionem, sive ex lectisterniis, aut aliunde selecta.*

℞. *Benedictio ignis ad comburenda instrumenta maleficialia.*

V. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℞. *Qui fecit Cælum, & terram.*

### O R A T I O.

**B**ene ꝑ dicat te creatura ignis, qui creavit te: qui famulo tuo Moyfi apparuit in igne flammæ rubi: qui columna ignis per noctis tenebras suum populum antecessit in desertum: qui judicaturus orbem, te judicis faciem præire jubebit: qui te suæ justitiæ instrumentum in spiritus contumaces delegit: ut qui tres pueros majestatis suæ cultores, in te servavit illæsos, etiam per te excruciet, & explodat omnes spiritus apostaticos. Bene ꝑ dico te, & exorcizo, atque conjuro te creatura ignis, & per illum, qui facit orbem tremere, & qui omnia potest, ut adversus infernales prædones sis mihi adjutorium, eos in virtute Dei, & domini nostri Jesu Christi affligens, excrucians, & exurens plus centuplo, quam gehenna sulphurea: ut abs te sentiant pœnas importabiles: quæ per singula momenta suæ protervæ obstinationis suscipiant incrementa. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen,

**A** Donay magne, & admirabilis, qui universa de nihilo tua potenti virtute creasti: & qui hujus mundi corporeis elementis, tantum ad eò potes communicare virtutem, ut non solum invisibiles spiritus pro sua temeritate perpetuò excrucient, verum etiam, ut possint transubstantiare naturas: obsecramus humiliter tuam omnipotentem pietatem, ut huic tuæ creaturæ, eam virtutem conferre tua benignitate digneris, quæ malignis spiritibus, non solum infernalium pœnarum amarâ recordationem efficiat, verum etiam eos pro sua in te, & in nos ministros tuos contumacia excruciet, exterminet, & expellat Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

*¶ Deinde aspergatur aqua benedicta: quo facto projice instrumenta maleficialia in ignem dicendo psalmum.*

*Exurgat Deus, &c.*

*¶ Quere supra in hac secunda parte hujus practicæ, sectione prima, applicabili. 21.*

*APPLICABILE. 14.*

*¶ Ptisana, sive vulgo oryzata, ad virtuosè corroborandum ventriculum, à maleficialium instrumentorum vomitione fessum: ejusq; benedictio.*

*¶ Recipe ptisanæ ordeaceæ, quantum sufficit, & patienti detur, tum propter ventriculum corroborandum, tum propter deterfionem ejus, à reliquiis infectionis ex commotione vomitionis exorta.*

BENEDICTIO PTISANÆ  
Præcedentis.

V. Ad-

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram:

### EXORCISMUS.

**E**Xorcizo te condimentum præsentis medicaminis corroborativum ventriculi, per Deum Omnipotentem, qui non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis: quoniam secundum altitudinem Cæli à terra corroboravit misericordiam suam sup timentes se: ut quæ admodum distat ortus ab occidente, ita à te omnibus assistentia, & præsentia, & operatio diabolica, divina adveniente virtute pellatur, ad omne robur mentis, & corporis illi præstandum, qui post vomitionem quantente ex te salubri expectat poculo recreari, & in stabilitate firmari ad omne maleficium semper procul repellendum, & per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

### O R A T I O .

**O**Mnipotens sempiternæ Patris domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, suppliciter deprecamur divinam clementiam tuam, ut benedicere † & sanctificare † digneris condimentum præsens, Ventriculi roborativum, & naturali sua virtute firmativum: Et des illi, qui eodẽ credit sumptione in exteriori homine recreari, plenam sui oprati finis adeptionem, & destructionis maleficii confirmationem, atque secundum divitias gloriæ tuæ virtutem corroborari per spiritum tuum in interiori homine: ut sit tibi, qui potens omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis, gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen. Per eundem dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum, & Spiritu Sancto vivit, & regnat nunc, & in perpetuum. Amen.

g Asper-



g Aspergatur aqua benedicta.

APPLICABILE. 15.

g Conserva virtuosius corroborativa Ventriculi à maleficialium instrumentorum materialium vomitione fessi.

Rx. Con- servæ	{	Foliorum boraginis.	} Anna		
		Foliorum rorismarini.		} Drac.	
		Betonicz.			} j.
		Absinthii.			
Sacchari ros. antiq.					

g Hujus conservæ benedictio sit illa eadem, quæ disposita fuit pro benedictione ptisanæ immediate præcedentis.

F I N I S.

FLA